BIBLIOTE… VITT. EMANUE…
12
26 A
26

Digitized by Google

Digitized by Google

BREVIS EXPLICATIO

DIALECTICÆ IUXTA MENTEM DIVI THOM.

AUTHORE.

R. A. P. M. Fr. Froylano Diaz Legionenſi, filio Conventus Sancti Pauli Vallis-Oletani, quondam in Inſigni D. Gregorij Regente, & modo Primariam Cathedram D. Thom. Moderante in Univerſitate Complutenſi, & in Collegio Sancti Thomæ eiuſdem urbis Regentis.



BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

Cum Privilegio: Vallis-Oleti: Ex Typographia Regia Ioſephi à Rueda. Anno 1698.

Digitized by Google

LICENCIA DE LOS Superiores.

TIENE el Reverendiſsimo P. M. Fray Froylan Diaz, Cathedratico de Prima de la Vniverſidad de Alcalà, licencia del M.R.P.M. Fr. Domingo Perez, Provincial de la Provincia de Eſpaña, del Orden de Predicadores, y Cathedratico de Prima de la Vniverſidad de Salamanca: Del Ordinario: Y del Conſejo Supremo de Caſtilla, para imprimir vn libro intitulado *Brevis Explicatio Dialecticæ*, el qual aprobaron por la Religion los M. RR. PP. Fr. Pedro de Santa Maria, y Fr. Aguſtin de Sandoval, Lectores de Theologia de el Real Convento de Nueſtra Señora de Atocha: Por el Ordinario los M.RR. PP. MM. del Colegio del Carmen Deſcalço de Alcalà: Y por el Conſejo, el Rmo. P.M. Fr. Franciſco Blanco, Predicador de ſu Mageſtad, Calificador de la Suprema, y de ſu Iunta.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SV-

SVMA DEL PRIVILEGIO.

TIENE Privilegio, por diez años, el Rmo.P.M.Fr.Froylan Diaz, Cathedratico de Prima de la Vniverſidad de Alcalà, para que ninguno ſin ſu licencia pueda imprimir eſte libro intitulado *Brevis Explicatio Dialecticæ*. Dada en Madrid à 8. dias del mes Agoſto de 1694.años.

SVMA DE LA TASSA.

LOS Señores del Conſejo Real taſſaron eſte libro, intitulado: *Brevis Explicatio Dialecticæ*, à ſeis maravedis cada pliego, como mas largamente conſta de ſu original.

ERRATAS.

Fol.17.eſte,lege eſſe.Fol.56.explicatur,leg. explicatum.Fol.63.& leg.eſt.Fol.73.ratione,leg. rationale.Fol.97. ex leg.eſt. Fol.111.reſolvit, leg.reſolvi.Fol.114.contradictorio,leg.contradictoria.Fol.122.imaginaris,leg.imaginatus.

NOS

Digitized by Google

NOS Fr. ANTONIVS CLOche, Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

MVNERIS noſtri eſt interdum non volentes currere incitare, interdum verò currentibus quoque calcar addere. Sane non cum levi gaudio noſtro accipimus te R. A. P. Mag. Fr. Froylanum Diaz, Collegij noſtri S. Thomæ Regentem, & Complutenſis Vniverſitatis Publicum S. Thomæ Primarium in Sapientia, & Doctrina D. Thomæ apprime inſtructum, quodque non ſine ſcholæ noſtræ fructu, eius doctrinam per aliquot annos in noſtro Inſigni Collegio D. Gregorij Valliſ-Oletani publice dictaveris, atque ad aliqua ingenij tui in publicam exhibenda opera te accinxeris; quare tenore præſentium, & Officij noſtri authotitate in meritum Sanctæ Obedientiæ, quo tibi maius

aſſur-

aſſurgat incitamentum, præcipimus tibi, atque ſtricte mandamus, vt curſum integrum Artium omnino perficere, pro poſſe, componendo ſatagas, atque typis mandare procures, quo iuventus promptiori, & vtiliori ſtylo vtiliter imbuatur: maiora de inceps tibi precepturi, quæ ex collatis tibi à Domino talentis ſperamus. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Datis Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam. Die 30. Aug. 1693.

Fr. Antonius Cloche.
Mag. Ord.

Reg. Fol. 16.
Fr. Ioſephus de Sarabia.
Mag. & Sotius.

Digitized by Google

AY Paulina del ſeñor Nuncio de ſu Santidad, para que ninguna perſona de qualquier calidad, y condicion que ſea, pueda imprimir, ni hazer imprimir las Sumulas, Diſputadas; Logica, Philoſophia, Generacion, Anima, y Methaphiſica, que ha eſcrito el R^mo. P.M.Fr. Froylan Diaz, de la Orden de Predicadores, y Cathedratico de Prima de la Vniverſidad de Alcalà, ſin ſu orden, deſpachada en Madrid à veinte y ſeis de Noviembre de mil ſeiſcientos y noventa y cinco años. Refrendada de Don Chriſtoval Ipoliti, Eſcritor

de

dePaulinas,y firmada de ſu Illuſtriſ-
ſima,y ſu Abreviador, y ſellada: co-
mo mas largamente conſta de ella,
que queda en el Archivo del Con-
vento de San Pablo de Valladolid.

PROOE-

Digitized by Google

PROOEMIVM.

SICVT brevis in volatilibus apes, & initium dulcoris eſt fructus illius; ita quidem brevis eſt dialectica; ſed initium dulcoris eius diſciplina, ad diſcendum facilis; ad proſequendum vtilis, cognoſcendi principium, proficiendi lucrum, clypeus in pugna, murus in victoria, ſemper in militia, ſed ſemper in palma; & ſi brevia ſunt præcepta, quæ continet, dulcedinis tamen grana comprehendit ſemper candida, ſi non fiat culpę rubigine tenebroſa, & ſi ſemel planta ſit corpore grandis vobis Pater, Frater, & ſimul iuvenis omnis,

vobis, inquam, proficiet ſi peccatum abſit, iuvabit multum ſi deſit delictum, aut ſi eam quçritis gratia Divina, & non vanitate terrena: & tandem Chriſtiane Lector, ſi fugis errorem, verumque dulciter amas, norma ſit Aquinas omni tibi tempore Thomas. Cum quo ſit.

CAPITVLVM PRIMVM.

PROOEMIALE.

DE OPERATIONIBVS INTELLECTVS.

§. I.

Quid ſint operationes prædictæ.

CVM muhus proprium Dialecticæ ſit operationes intellectus dirigere, ante reliqua iuſtum erit de operationibus intellectus diſputare: nō quidem de operationibus intellectus agentis, qui cognoſcitivus non eſt: ſed intellectus poſsibilis, qui ſolus poteſt percipere veritatem. Triplex igi-

tur

Digitized by Google

tur eſt intellectus poſsibilis operatio, ſicut 1. poſt. lect. 1. & 1. p. q. 65. art. 1. docet Angel. Doct.

Prima operatio ſimplex appræhenſio appellatur: illa videlicèt actio, per quam intellectus res ſimplices appræhendit, nihil de illis affirmando, vel negando. Secunda operatio dicitur compoſitio, vel diviſio: quando videlicèt intellectus de re primò appræhenſa aliquid affirmat, vel negat: & dum afirmat, dicitur cōponere: quia prædicatum cum ſubiecto coniungit: dum verò negat, dicitur dividere: quia prædicatum ſeparat à ſubiecto. Tertia verò operatio denominatur diſcurſus, ſeu ratiocinatio: quando ſcilicèt, intellectus ex vno cognito, alterum deducit, & infert: diciturque diſcurſus, quatenus intellectus de vno currit, aut diſcurrit ad aliud. Et diſcurſus iſte debet eſſe ſecundum cauſalitatem; ſicut quando deducimus vnum ex alio, tanquam ex cauſa, & principio: ita quod primus actus, quo cauſam attingimus, ſit cauſa alterius actus, quo attingimus concluſionem illatam.

§. II.

Numerus operationum explicatur.

OPERATIONES prædictæ ſunt tantùm tres, & non plures, vel pautiores. Ratio autem ea eſt. Quia iſtæ requiruntur, & ſufficiunt, vt intellectus perfectè veritatem attingat. Ergo non ſunt plures, vel pautiores. Prob. ant. Intellectus non ſtatim à principio, ſed per ſucceſsionem quandam, & diſcurſum, venit in perfectam cognitionem veritatis. Sed ad diſcurſum tres operationes aſsignatæ requiruntur, & ſufficiunt. Ergo operationes prædictæ requiruntur, & ſufficiunt ad perfectè cognoſcendam veritatem. Prob. min. Ad diſcurſum pertinentem ad tertiam operationem, requiruntur propoſitiones pertinentes ad ſecundam: & ad propoſitionem requiruntur termini pertinentes ad primam. Ergo ad diſcurſum tres operationes aſsignatæ requiruntur, & ſufficiunt.

Sed inſtabis. Quidquid fit per tertiam ope-

rationem, poteſt fieri per ſecundam. Ergo tertia ſuperflua eſt. Prob. ant. Per tertiam operationem fit ordinatio, & diſpoſitio præmiſſarum. Sed ſecunda operatio etiam eſt ordinativa. Ergo quidquid fit per tertiam, poteſt fieri per ſecundam.

Reſpond. neg. ant. & ad prob. diſt. min. Ordinativa enunciativè: conc. min. illativè: nego min. & conſeq. Quia ſecunda operatio ſolùm ordinat enuntiando vnum de alio. Et ideò ad ipſam pertinet propoſitio cathegorica, & etiã propoſitio hypothetica: non tamen ſecunda operatio ordinat inferẽdo vnum ex alio. Nam hæc ordinatio eſt formalitèr diſtincta à compoſitione enuntiativa. Et ita non ad ſecundam operationem, ſed ad tertiam ſolam pertinere debet.

Dices: Diverſitas compoſitionis enuntiativæ, & illativæ non eſt diſtincta formaliter. Ergo ſicut vna, ita etiam alia ad ſecundam operationem pertinere debet. Prob. ant. Eadem propoſitio poteſt eſſe enuntiativa, & illativa ſimul, vt conſtat in propoſitione conditionali, quæ eſt enuntiativa: & ſimul importat bonita-

tem conſequentiæ. Ergo diverſitas compoſitionis enuntiativæ, & illativæ, non eſt diſtincta formalitèr.

Reſp. diſt. ſecundum ant. eadem materialitèr: conc. ant. formalitèr: neg. ant. & conſeq. Quia propoſitio conditionalis habet duplicem formalitatem enuntiativæ videlicèt, & illativæ, & ſecundum primam pertinet ad ſecundam; ſecundum aliam verò pertinet ad tertiam: ſed hoc ideò eſt. Quia vtraque formalitas eſt diverſa formalitèr. Et ideò licèt propoſitio materialiter vna ſit; formalitèr tamen diverſa eſt.

CAPITVLVM II.

De quatuor propoſitionibus.

VLTRA dicta tamen, notitia præhabenda eſt de quatuor propoſitionibus, quas in limine præmitunt plures, & prima eſt. *Quod dialectica eſt prima adquiſitione; ſed non prima dignitate.*

Probatur prima pars. Quia illa ſcientia eſt pri-

prima adquiſitione;quæ tradit modum acqui-
rendi alias ſcientias.Sed dialectica tradit mo-
dum acquirendi alias ſcientias.Ergo eſt prima
acquiſitione. Pat. min. Quia ſcientiæ acqui-
runtur per diffinitionem,diviſionem, & argu-
mentationem. Sed dialectica docet diffinire,
dividere,& argumentari. Ergo tradit modum
acquirendi alias ſcientias.

Secunda verò pars probat. Quia dignitas,&
perfectio ſcientiæ deſumitur ab obiecti perfe-
ctione. Sed obiectum dialecticæ imperfectius
eſt,quam obiecta aliarum ſcientiarum. Siqui-
dem obiecta aliarum ſcientiarum ſunt entia
realia:& obiectum dialecticæ eſt ens rationis.
Quod quidem eſt fictum, & minus perfectum
ente reali.Ergo dialectica non eſt prima, ſed
potiùs infima in dignitate.

Dices: Dignitas ſcientiæ ſumitur ab obie-
cto formaliter in eſſe obiecti, & non ab illo
materialiter ſumpto.Sed obiectum dialecticæ
formaliter in eſſe obiecti eſt ſaltem æquè per-
fectum.Ergo dialectica,eſt æquè perfecta cum
alijs,& non infima dignitate.Prob.min.Obie-
ctum dialecticæ formaliter eſt ita ſimplici-

ter ſcibile, ſicut obiecta aliarum ſcientiarum. Ergo æquè perfectum eſt.

Reſp. neg. min. & ad probat. diſt. ant. Ita ſecundum rationem communem: conc. ant. ſecundum rationem particularem: nego ant. & conſeq. Obiectum namq; dialecticæ eſt ſimpliciter ſcibile: & ita ſimpliciter, ſicut ens reale ſecundum rationem communem ſcibilis, in qua omnia ſcibilia conveniunt vnivocè. Non tamē eſt ita ſimpliciter ſcibile, ſecundum rationem particularem. Quia ſicut abſtractio dialecticæ eſt minus perfecta: ita obiectum dialecticæ ſecundum particularem differentiam minus perfectum eſt, & non ita ſimpliciter ſcibile, licèt abſolutè ſit ſcibile ſimpliciter. Eo quod ſcibilitas ſumitur à connexione paſsionum cum eſſentia. Et ens rationis ita connectitur cum ſuis proprietatibus, ſicut ens reale cum ſuis.

Secunda propoſitio eſt. *Quod dialectica eſt ars diſputandi.* Quia ea eſt ars diſputandi, quæ tradit regulas, & præcepta conducentia ad diſputandum: ſicut ea ars, quæ tradit regulas ad pingendum, appellatur ars pictoria, & verè dicitur ars pingendi. Sed dialectica tradit regu-

gu-

Digitized by Google

gulas,& præcepta diſputandi. Siquidem diſputatio,fit per argumentationem : & dialectica docet argumentare,& facere ſyllogiſmos. Ergo dialectica verè ars diſputandi dicitur.

Tertia propoſitio eſt *Dialecticam dirigere triplicem operationem intellectus.* Quia intellectus in omni ſua operatione poteſt errare : in prima quidem applicando rei appræhenſæ ſecundam intentionem illi repugnantem, vt ſi hominem appræhendat cum intentione generis. In ſecunda verò errare poteſt,affirmando de ſubiecto prædicatum, quod illi non convenit : & in tertia errare poteſt,male diſponendo præmiſſas. Sed dialectica tollit prædictum errorem,quem poteſt intellectus habere, modo iam dicto. Ergo dialectica dirigit triplicem operationem intellectus. Prob min. Dialectica docet,cui ſubiecto tribuenda eſt talis, vel talis intentio,generis,aut ſpeciei : & ſimiliter quod prędicatum, & ſubiectum in vera propoſitione debent ſupponere pro eodem. Et etiam quomodo ſyllogiſmus conſtruendus eſt,vt nullum habeat deffectum. Ergo dialectica tollit ſupradictum errorem.

Ar-

Arguitur. Prima operatio non poteſt errare formaliter. Ergo dialectica non poteſt primam operationem dirigere. Prob. ant. Prima operatio attingit rei quidditatem. Sed circa quidditatem nequit eſſe error. Ergo prima operatio non poteſt errare formaliter. Prob. min. Cum quidditas rei conſiſtat in indiviſibili, vel tota attingitur, vel nihil attingitur: ſed ſi tota attingitur, non datur error. Et ſi nihil attingitur, error non datur. Quia errare eſt attingere rem cum aliquo deffectu. Ergo circa quidditatem nequit eſſe error.

Reſpond. diſt. ant. errore compoſitionis: conc. ant. Errore in ordinationis: nego ant. & conſeq. Quia prædicamenta pertinent ad primam operationem. Et ita ad illam pertinet prædicabilia in prædicamento ordinare, & conſequenter animali tribuere intentionem generis, & homini intentionem ſpeciei: & cum intellectus dialecticæ ignarus poſsit res, ècontra diſponere, & homini tribuere intentionem generis. Inde fit primam operationem errare poſſe, malè prædicabilia in prædicamento ordinando: & ad hunc errorem tollendum eſſe ne-

neceſſariam dialecticam; quamvis prima operatio errare non poſsit errore compoſitionis. Eo quod compoſitiva non eſt.

Quarta denique propoſitio affirmat *Quod in dialectica à termino eſt incipiendum*. Et prob. Quia à ſimplicioribus, & imperfectioribus incipiendum eſt. Eo quod ars imitatur naturam. Et natura ab imperfectioribus, & ſimplicioribus incipit. Sed inter omnia ad dialecticam pertinentia ſimplicior eſt terminus. Ergo ab illo incipiendum eſt. Prob. min. Omnia pertinentia ad dialecticam ſunt, oratio, propoſitio, & ſyllogiſmus. Sed hæc omnia componuntur ex terminis. Et terminus ex nullo componitur. Ergo terminus inter omnia ſimplicior eſt.

Arguitur. Vox, & ſignificatio ſunt ſimpliciores termino. Quia terminus ex voce, & ſignificatione componitur. Et pars ſemper eſt ſimplicior toto. Ergo à voce, & ſignificatione priùs quàm à termina incipiendum eſt.

Reſpond. diſt. ant. ſimpliciores abſolutè: conc. ant. intra lineam dialecticam: neg. antec. & conſeq. Quia licèt vox, & ſignificatio ſint ſimpliciores termino; non tamen pertinent ad dia-

dialecticam, ſed ad Grammaticam, & Rethoricam. Et ideò non priùs ab illis incipiendum eſt in dialectica; ſed priùs incipiendum eſt à termino, qui inter omnia pertinentia ad dialecticam ſimplicior eſt.

LIBER PRIMVS.

DIALECTICÆ, ET IN EO.

CAPITVLVM I.

DE SIGNO.

§. I.

Diffinitio ſigni explicatur.

SIGNVM eſt nota quædam, per quam res deſignamus, vt eas diſtinguamus ab alijs, & communiter diffinitur. Eſt *obiectum quod potentiæ cognoſcitivæ aliquid aliud à ſe repræſentat*. Sicut fumus, qui ita repræſentat ignem, & veſtigium animalis pulveri impreſſum

ſum repreſentat animal, quod tranſivit, & illius ſignum eſt. In prædicta autem diffinitione *obiectum* ponitur loco generis, & ſimiliter *repræſentare*. Quia quodlibet obiectum repræſentat ſe, quamvis non ſit ſignum ſui. Illa verò particula *aliud à ſe*, loco differentiæ ponitur. Nam in hoc diſtinguitur ſignum ab alijs, quæ ſigna non ſunt; ſicut ab homine, qui ſe ipſum, & alterum hominem repræſentat, cuius tamen non eſt ſignum. Eo quod homo repræſentatus, non eſt aliud ab homine repreſentante.

In gratiam tamen incipentis addiſcere, oportet particulas explicare. Eſt ergo *obiectum*, quod obijcitur potentiæ, vel ponitur ante illam, vt ab ipſa cognoſcatur: & eſt triplex, videlicèt, *motivum tantùm*: *terminativum tantùm*. *Motivum, & terminativum ſimul*. *Motivum tantùm eſt*, quod movet, ſed non terminat potentiam, vt imago D. Thomæ, quæ movet potentiam, vt cognoſcat D. Thomam: & ita cognitio non terminatur, aut finitur in imagine, ſed tranſit ad prototypum. *Terminativum tantum eſt*, quod tantùm terminat, & non movet; ſicut Imperator cognitus media ſua ima-

imagine, terminat cognitionem, ſed ad illam movet imago, non tamen ipſe Imperator. *Motivum, & terminativum ſimul*, eſt, quod ſimul movet, & terminat; ſicut lapis in ſe ipſo cognitus movet ad ſui cognitionem, & ſimul terminat illam. Ex quibus tamen obiectis, ſolùm *motivum tantum* obtinet rationem ſigni. Quia hoc ſolùm aliquid aliud à ſe repræſentat.

Alia tamen particula, ſcilicèt, *repræſentare* idem ſignificat, quod rem præſentem facere. Et vltima particula *aliud à ſe* denotat inter ſignum, & ſignatum debere dari diſtinctionem eſſentialem. Et quamvis dicatur, *potentiæ cognoſcitivæ*, non debet intelligi de potentia perfectè cognoſcente; ſed etiam de quacumque potentia imperfectè cognoſcitiva. Quia etiam bruta habent ſua ſigna, per quæ ſignata ſaltem materialiter cognoſcunt: ſicut canis per odorem quoddammodo cognoſcit leporem: & equus audita tuba ſtatim ſeparat ad prælium.

Contra diffinitionem arguitur. Vox *homo* in libro clauſa eſt verè ſignum. Et tamen non repræſentat potentiæ cognoſcitivæ. Siquidem non eſt præſens potentiæ; ſed potiùs abſens,

&

& in libro clauſa. Ergo ad rationem ſigni repræſentatio neceſſaria non eſt.

Reſponderi poterat, diſt. min. non repræſentat actu: conc min. Aptitudine: neg. min. & conſeq. Quia licèt illa vox non repræſentet actualiter: eo quod non eſt manifeſta; poteſt tamen repræſentare proximè. Siquidem ſignificationem habet, & ſolum eſt ab extrinſeco impedita, quatenus liber eſt clauſus. Et hoc ſufficit, vt ſit verè ſignum. Eo quod verba in diffinitione poſita, non dicunt actum, ſed aptitudinem.

Reſpond. ſecundo: diſt. mai. fundamentaliter: conc. mai. Formaliter: neg. mai. Quia vox conſtituitur in ratione ſigni per formam rationis, quæ non exiſtit, niſi dum vox actu cognoſcitur. Et ideò quando vox eſt in libro clauſa, non eſt formaliter ſignum, nec illi actualiter convenit diffinitio, ſed ſolùm fundamentaliter. Quatenus ex parte vocis adeſt iam fundamentum ad rationem ſigni requiſitum. Hoc tamen ſufficit, vt vox prædicta dicatur ſignum abſolutè. Quia cum entia rationis ſint minimæ entitatis, vt abſolutè dicantur

tur exiſtere, ſatis eſt exiſtere fundamentum.

§. II.

De diviſione ſigni in communi.

QVIA ſignum eſt medium ductivum potentiæ in cognitionem ſignati, duplicem habitudinem importat; vnam quidem ad ſignatum, & alteram ad potentiam. Et ratione habitudinis ad potentiam dividitur in ſignum formale, & ſignum inſtrumentale. Signum formale eſt: *Quod ſe ipſo, & non mediante alio repræſentat.* Sicut conceptus lapidis, per ſe ſolum repræſentat lapidem independenter ab alio conceptu. Signum verò inſtrumentale, eſt illud, quod *præexiſtente cognitione ſui aliquid aliud facit in cognitionem venire*; ſicut fumus priùs cognitus facit cognoſcere ignem.

Ex quo infertur, inter vtrumque ſignum duplicem reperiri differētiam. Prima eſt, quod ſignum inſtrumentale, vt ducat in cognitionē ſig-

ſignati,debet priùs cognoſci in quantum ſignum, ideſt, vt habens proportionem cum ſignato. Nam ſi non cognoſcimus imaginem habere proportionem cum D. Thoma,non poſſumus per illam cognoſcere D. Thomam. Sed ſignum formale non debet priùs cognoſci per actum diſtinctum ab eo,quo ſignatum cognoſcitur.

Etſi dicas:Eundem eſte motum in imaginem, & in rem imaginatam, iuxta commune proverbium. Ergo eodem actu, quo cognoſcitur ſignum inſtrumentale, cognoſcitur ſignatum. Ac proinde tale ſignum non debet priùs cognoſci.

Reſpond.Quod eodem actu,quo cognoſcitur ſignum in actu exercito, & vt actualiter ducit, cognoſcitur ſignatum ſaltem in obliquo:non tamen eodem actu,quo cognoſcitur ſignum in actu ſignato, cognoſcitur ſignatum. Et propterea aſſerimus ſolùm ſignum inſtrumentale debere prius cognoſci in actu ſignato, ideſt priùs debere cognoſci abſolutè imaginem D.Thomæ eſſe ſignum illius,& habere proportionem cum ipſo.

Secunda differentia inter vtrumque ſignum ea eſt.Quod ſignum inſtrumentale,vt repræſentet actualiter ſignatum, duplicem cognitionem requirit; vnam quidem ſigni, eo quod tale ſignum eſt medium *per quod*, aut quod priùs cognitum ducit in cognitionem alterius. Alteram etiam requirit cognitionem, ſcilicèt ſui ſignati quantum ad *an eſt*. Nam qui nullam habet notitiam D. Thomæ, non poteſt per eius imaginem in cognitionem D. Thomæ venire. Signum verò formale eſt medium *in quo*: & ita vnam ſolam cognitionem requirit, per quam intellectus cognoſcit ſignum, & in eo contemplatur obiectum.

Arguitur contra diviſionem prædictam. Quia ſigno formali non convenit eſſentia ſigni. Ergo non benè ſignum in vtrumque dividitur. Prob. ant. Signum fomale, videlicet conceptus intellectus, non repræſentat aliud à ſe. Siquidem conceptus habet intra ſe eandem eſſentiam, quam res habet in conceptu. Ergo ſigno formali non convenit eſſentia ſigni.

Reſp. neg. ant. & ad probat. diſt. ant. aliud quantum ad ſubſtantiam; conc. ant. Quantùm ad-

admodum: neg. ant. & conſeq. Quia eſſentiâ, provt à parte rei, habet modum naturalem, & in conceptu ſolùm modum intentionalem habet; qui modi eſſentialiter diſtinguuntur. Et ideò hæc diverſitas eſſentialis in modo habendi eandem ſubſtantiam, & naturam, ſufficit, vt ſignum formale repræſentet aliud à ſe.

CAPITVLVM II.

DE DIVISIONE SIGNI FORMALIS.

EXPLICATA natura ſigni formalis, prima diviſio illius eſt, in *conceptum vltimatum, & non vltimatum, Conceptus non vltimus*: eſt conceptus ſigni inſtrumentalis, qui quidem dicitur non vltimus: quia poſt illum format intellectus alterum conceptum ad cognoſcendum ſignatum. *Conceptus verò vltimatus* eſt conceptus rei, ſive cognitæ per ſe, ſive cognitæ per ſignum. Quia in prædicto conceptu vltimo ſiſtit intellectus, & non tranſit ad alterum cognoſcendum.

2. dividitur ſignum formale, in *con-*

ceptum directum, & *reflexum*. *Conceptus directus* eſt conceptus obiecti, vel rei diſtinctæ à conceptu; ſicut conceptus lapidis, vel imaginis. *Conceptus verò reflexus*, eſt conceptus alterius conceptus, vt quando quis per ſecundum conceptum cognoſcit primum conceptum priùs habitum. Requiritur tamen vtrumque conceptum eſſe in eodem cognoſcente. Et ideò conceptus, quo Angelus cognoſcit noſtrum conceptum, reflexus non eſt. Quia reflexio debet eſſe eiuſdem cognoſcentis.

Ex quo habes conceptum reflexum debere realitèr à directo diſtingui. Quia conceptus directus habet obiectum repræſentatum per ipſum pro obiecto primariò. Et conceptus reflexus non habet pro obiecto primariò prædictum obiectum; ſed conceptum illius. Et conceptus per obiecta primaria realitèr diſtinguuntur.

Rurſus etiam, cum conceptus ſit vltima actualitas obiecti: ſi conceptus directus identificaret reflexum, identificaret ſuam vltimam actualitatem in genere intelligibili paſsivo: & ita eſſet ſimpliciter infinitus.

Et

Et ſi dicas: Obiectum viſibile in genere ſuo identificare vltimam actualitatem. Siquidem non videtur per aliquod medium realiter diſtinctum ab ipſo. Et tamen infinitum non eſt. Ergo idem de conceptu.

Reſp. neg. conſeq. Quia genus viſibile ex proprio conceptu formali importat imperfectionem. Siquidem ex conceptu formali viſibilis importat materiam; & accidentia coloris. Vndè ex proprio conceptu ſupponitur limitatum. Et conſequenter non erit infinitum, quãvis identificet vltimam actualitatem in genere proprio. Genus verò intelligibile ex proprio conceptu formali non dicit imperfectionem. Siquidem reperitur in Deo formaliter. Et ideò ſi identificaret vltimam actualitatem, eſſet infinitum ſimplicitèr.

Tertiò dividitur ſignum formale in *notitiam intuitivam, & abſtractivam. Notitia intuitiva, eſt notitia rei præſentis. Notitia verò abſtractiva*, eſt *notitia rei abſentis*; ſicut ea quam habemus exiſtentes Compluti, alicuius obiecti exiſtentis Valliſ-Oleti.

Et ſi dicas: Quod notitia, quam habeo Pe-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tri præſentis,eſt notitia rei præſentis. Et tamen intuitiva Petri non eſt. Siquidem non terminatur ad ſubſtantiam Petri: ſed tantùm ad illius accidentia. Ergo non omnis notitia rei præſentis,eſt notitia intuitiva.

Reſp.neg.min. Quia licet prædicta notitia per ſe ſolùm terminetur ad accidentia, & ſit eorum intuitiva;peraccidens tamen, & ratione accidentium terminatur ad ſubſtantiam, tanquam ad ſubiectum illorum, & viſibile propter illa,quod ſatis eſt, vt verè ſit intuitiva ſubſtantiæ.

Inter vtramque tamen notitiam, quadruplex differentia verſatur. Prima ex parte cauſæ efficientis. Quia notitia intuitiva cauſatur ab obiecto præſenti, immittente ſpecies, aut illas conſervante. Notitia verò abſtractiva cauſatur ab ſpeciebus relictis in memoria in abſentia obiecti.

Secundo differunt ex parte effectus. Quia inter notitias eiuſdem ordinis, notitia intuitiva clarior,& certior eſt notitia abſtractiva.

Tertiò differunt ex parte ordinis.Quia notitiam abſtractivam ſemper præcedit intuitiva no-

notitia, vel eiuſdem obiecti, vel alterius ſimilis; ſicut notitia abſtractiva, quam habemus Romæ, ſupponit notitiam intuitivam alterius Civitatis, aut loci, ad cuius ſimilitudinem Romam cognoſcimus.

Quarto diſtinguuntur ex parte ſubiecti. Quia notitia intuitiva reperitur in omnibus ſenſibus, tam internis, quàm externis; notitia verò abſtractiva, in ſolo intellectu reperitur.

CAPITVLVM III.

DE DIVISIONE SIGNI, PER ORDINEM ad ſignatum.

RATIONE autem ordinis ad ſignatum, dividitur ſignum in *naturale*, *ad placitum*, *& ex conſuetudine*. *Signum naturale*, eſt quod ex natura ſua aliquid repræſentat; ſicut fumus ignem. Vndè tale ſignum duas habet proprietates, quarum prima eſt: quod idem apud omnes repræſentat; ſicut fumus, aut veſtigium hominis. Secunda proprietas eſt, quod non poteſt deponi à ſua ſignificatione. Eo quod

non poteſt non obtinere naturalem proportionem cum ſignato.

Signum verò ad *placitum, illud eſt*, quod ex *impoſitione aliquid repræſentat*; ſicut hæc vox *homo*, quæ impoſita eſt ad hominem ſignificandum. Et idem de tabella, vel alio ſigno iuxta morem Patriæ poſito, ad hoſpitium ſignificandum. Et idem de Sacramentis, quæ Chriſtus impoſuit ad gratiam ſignificandam. Quapropter tale ſignum, duas habet per oppoſitum proprietates, videlicèt, quod non idem ſignificat apud omnes, vt vox homo, quæ ſolùm apud Latinos hominem ſignificat. Et item quod tale ſignum poteſt à ſignificatione deponi, ſi Reſpub. voluerit.

Tandem *ſignum ex conſuetudine*, illud eſt, *quod aliquid ex vſu quodam, & conſuetudine repræſentat*; ſicut propter conſuetudinem quàm habet canis ante Dominum ambulandi, canis ſemel viſus, Dominum repræſentat.

Hoc tamen ſignum ex conſuetudine ſemper reducitur, vel ad ſignum naturale, vel ad placitum. Ad naturale quidẽ, quando conſuetudo fundatur in natura; ſicut in natura canis fun-

fundatur conſuetudo Dominum præcedendi. Ad placitum verò: quando conſuetudo in hominum voluntate fundatur, ſicut mappæ poſitæ ſupra menſam ſignificant ex conſuetudine ad placitum comeſtionem, & ramus poſitus ante tabernam, ſignificat vinum vendibile, præciſsè quia homines voluerunt vti ſigno prædicto.

Contra diffinitionem tamen ſigni naturalis, arguitur. Quod imago D. Thomæ, ideò D. Thomam repræſentat, quia pictor voluit eam D. Thomæ aſsimilare. Ergo non repræſentat ex natura rei, ſed ex libera voluntate pictoris.

Reſpond. diſt. conſeq. Ex libera voluntate infieri: conc. conſeq. In facto eſſe: neg. conſeq. Quia, quamvis infieri dependeat à voluntate pictoris, ſemel tamen facta neceſſariò repræſentat. Nec pictor poteſt facere quod D. Thomam non repræſentet. Sicut vocem ſemel impoſitam, poteſt Reſpub. à ſua ſignificatione deponere.

Dices: Etiam poſtquam imago depicta eſt, poteſt iterum deffotmari, aut ab illa auferri ſimilitudo. Ergo etiam imago poteſt à ſua ſignificatione deponi.

Reſ-

Reſpond. diſt. conſeq. Variata intrinſecè imagine:conc.conſeq.In variata:nego conſeq. Quia, dum defformatur imago, & ab illa auffertur ſimilitudo, mutatur intrinſecè: ſed vox, & omne ſignum ad placitum abſque vlla intrinſeca variatione, poteſt à ſua ſignificatione deponi, præcisè per id, quod habentes authoritatē velint ipſum non amplius ſignificare.

CAPITVLVM IV.

DE TERMINO.

§. I.

Explicatur termini in communi diffinitio.

INTER omnia pertinentia ad dialecticam terminus prior eſt. Qui tamen de formali importat ſecundam intentionem partis: pro ſubſtracto verò, & de materiali, importat vocem ſignificativam: & cum concreta accidentalia diffiniantur per ſubiectum, propterea terminus communiter diffinitur eſſe *ſignum ex quo*

quo ſimplex conficitur propoſitio. In ratione autem ſigni convenit cum omni ſigno rationem termini habente, vel non habente, qualis eſt imago D. Thomæ; quæ non eſt terminus, & eſt verè ſignum. Et per talem etiam particulam excluduntur Blitiri, & aliæ voces, quæ nihil ſignificant. Per vltimam verò particulam diſtinguitur terminus ab omni alio non habente rationem termini. Eo quod nihil aliud à termino, poteſt per ſe componere ſimplicem propoſitionem.

Arguitur tamen contra diffinitionem prædictam. Quod vna propoſitio poteſt componere aliam; ſicut hæc, *homo eſt animal*, componit iſtam, *homo eſt animal eſt propoſitio.* Ergo componere propoſitionem convenit alijs à termino. Et conſequenter non eſt differentia termini diſtinctiva.

Reſpond. diſt. antec. convenit propoſitioni per accidens: conc. ant. per ſe: neg. ant. & conſeq. Quia propoſitio eſt totum in linea dialectica, & ita per ſe intra lineam dialecticam non ordinatur ad alterum componendum. Sed intentio partis convenit illi per accidens, &

ex-

extra ſuam eſſentiam, & non ſicut convenit termino, qui eſt primum elementum in linea dialectica. Et quod primò illi convenit intra talem lineam, eſt ſecunda intentio partis. Conſequenterque eſſentialiter illi convenit tanquam prima differentia in linea dialectica. Et ideò ſolus terminus per ſe poteſt componere propoſitionem, vel ad illam componendam ordinari.

Secundò reſpond. terminum componere propoſitionem formaliter: ſed vnam propoſitionem ſolùm materialitèr aliam componere. Quatenùs id, quod eſt propoſitio ſubinduit accidentaliter intentionem termini ad componendum.

Et ſi dicas: Quod hæc propoſitio, *homo eſt animal*, componit iſtam, homo eſt animal eſt propoſitio formaliter. Ergo componit illam formaliter: Pat. conſeq. Quia prædicatum verè dicitur de ſubiecto. Et non verè de illo diceretur, ſi ſubiectum, vt componit, non eſſet formaliter propoſitio.

Sed neg. conſeq. & ad probat. diſt. ant. De ſubiecto ex parte rationis *quæ*, & in ſe ipſo:

conc,

conc. conſeq. ex parte rationis *ſub qua*: neg. conſeq. Quia prædicatum ſolùm affirmatur de ſubiecto in ſe ipſo, & ex parte rationis *quæ*: & cum ſubiectum in ſe ipſo ſit propoſitio formaliter, verè de illo dicitur prædicatum: quamvis ex parte rationis *ſub qua*, non ſit propoſitio. Sed terminus, & pro materiali complexus. Non enim prædicatum dicitur de ſubiecto ſecundùm rationem *ſub qua*. Alias hæc propoſitio eſſet falſa, *homo eſt animal*. Quia prædicatum formaliter, vt tale, non eſt ſubiectum formaliter.

§. II.

De prima termini diviſione.

DIVIDITVR primò terminus, in vocalem, mentalem, & ſcriptum. Terminus vocalis, eſt *vox ſignificativa ad placitum ex qua ſimplex conficitur propoſitio*; ſicut vox homo. In qua diffinitione *vox* ponitur loco generis: quatenus vox eſt communis ad vocem ſignificantem, & vocem non ſignificantem, nec haben-

bentem rationem termini vocalis. *Significativa* verò, diſtinguit terminum à voce non ſignificante, vt Blitiri. *Ad placitum* autem excludit à ratione termini voces naturaliter ſignificantes; ſicut gemitus infirmi naturaliter dolorē ſignificat, & viſus lætitiam animi explicat naturalitèr. Vltima particula ponitur ad differentiam propoſitionis, vt in diffinitione termini in communi dictum eſt.

Contra arguitur. Blitiri componit propoſitionem, iſtam videlicèt, *Blitiri eſt triſyllabum*. Ergo verè terminus eſt. Et conſequenter non benè excluſus in diffinitione termini.

Reſpond. diſt. ant. componit materialitèr: conc. ant. formalitèr: neg. ant. Quia Blitiri componit materialitèr tantum. Eo quòd ſolùm accipitur pro ſe ipſo: non tamen componit formalitèr, & acceptum pro alio, quod ad rationem termini neceſſarium eſt.

Terminus verò mentalis eſt *notitia formalitèr ſignificativa ex qua ſimplex conficitur propoſitio mentalis. Notitia* ponitur loco generis. Quia non ſolùm conceptus intellectus, ſed etiam notitia potentiæ viſivæ, & actio cognoſcendi, ha-

habent rationem notitię. Cum tamen non ſint verè termini. Alia autem particula loco differentiæ ponitur, ad differentiam propoſitionis mentalis,

Terminus tandem ſcriptus: *Scriptura ſignificativa ad placitum ex qua ſimplex conficitur propoſitio ſcripta. Scriptura* habet vicem generis. Nam in ratione ſcripturæ etiam ſcripturæ non ſignificantes conveniunt. Alia autem particula loco differentiæ ponitur.

§. III.

De diviſione termini vocalis.

CVM terminus mentalis eodem modo dividatur, quo ſignum formale dividitur, propterea de diviſione termini mentalis non curantes, terminum vocalem dividimus, & primò in *vnivocum*, & *æquivocum*. Terminus *vnivocus eſt, qui ſua ſignificata vnico conceptu* repreſentat, vt vox homo. Significare autem ſua ſignificata vnico conceptu; eſt repræſentare illa, quatenus conveniunt in aliqua

qua ratione communi; ſicut homo ſignificat omnes homines, vt conveniunt in ratione hominis, vel in humana natura.

Terminus æquivocus eſt, *qui ſua ſignificata diverſis conceptibus repræſentat*, vt iſte terminus canis, repræſentat canem terreſtrem, canem cœleſtem, & marinum, diverſis conceptibus, ideſt, provt differunt inter ſe, ſecundùm proprias differentias.

Rurſus autem terminus *æquivocus* dividitur in *æquivocum à caſu*, *& æquivocum à conſilio*. Terminus æquivocus à caſu eſt ille, *qui ſignificat ſua ſignificata pluribus conceptibus ex æquo, & ſine ordine vnius ad alium*, ſicut vox canis ſignificat piſcem canem, & ſtellam canem, & canem terreſtrem.

Terminus æquivocus à conſilio eſt ille, *qui ſignificat ſua ſignificata cum habitudine, & proportione vnius ad aliud*; ſicut iſte terminus Nero, ſignificat Neronem, & omnes homines crudeles propter ſimilitudinem, & convenientiam cum Nerone in eius crudelitate, & hic terminus verè eſt analogus.

Duas tamen regulas pro analogatis aſſignant

nant dialectici. Prima eſt. *Quod analogum per ſe ſumptum ſtat pro famoſiori ſignificato.* Vt cum dicitur *homo*, accipitur pro homine vivo, qui eſt principale ſignificatum.

Secunda regula eſt, quod in analogis, *talia ſunt ſubiecta, qualia permittuntur ab eorum prædicatis.* Ideſt, quod in analogis poteſt ſubiectum determinari à prædicato, vt accipiatur pro analogato minus principali, vt in hac, *homo eſt pictus*, determinatur ſubiectum à prædicato, vt accipiatur pro homine picto.

Arguitur contra primam regulam. In hac propoſitione, *homo alius eſt vivus, alius pictus*, ly *homo* eſt analogum per ſe ſumptum. Siquidem non reſtringitur ab analogato minus principali, nec alienatur ab illo: eo quod non accipitur ſolum pro homine vivo; ſed etiam pro homine picto. Et tamen non accipitur pro famoſiori ſignificato, ſed potius eſt ad vtrumquè communis. Ergo regula rectè aſsignata non eſt.

Reſp. Tamen, regulam intelligendam eſſe de analogo ſupponente perſonaliter, & non de analogo ſupponente ſimpliciter, qualiter ly

homo in diviſione prædicta ſupponit,abſtrahendo ab homine vivo,& picto.Et ita ly *homo*,nec ſtat per ſe ſumptum modo requiſito. Nec reſtringitur ab analogato minus principali.

Et ſi dicas: Si ly *homo* ſupponeret ſimpliciter, ſupponeret pro natura humana, quæ eſt primum hominis ſignificatum. Sed non ſupponit pro natura humana: cum de illa non verificetur eſſe pictam. Ergo non ſupponit ſimpliciter.

Reſpond.Quod,vt ſupponat ſimplicitèr,neceſſarium non eſt ſupponere pro natura humana;ſed ſatis eſt ſupponere pro homine ſecundum exteriorem figuram communem ad hominem vivum,& pictum.

Melius tamen reſpond.Hominem ibi non eſſe analogum per ſe ſumptum.Quia licet non reſtringatur ab analogato minus principali adęquatè,inadæquate tamen ab illo reſtringitur. Nam idem eſt dicere homo alius vivus, alius pictus,ac dicere, ex hominibus aliquis eſt vivus,aliquis eſt pictus. Et ideò ly *homo* in adæquatè,ideſt ſecundum aliquem hominem reſtringitur,vt accipiatur ſolũ pro homine picto.

§. IV.

§. IV.

De alia termini diviſione.

QVAMVIS diviſio ſupra facta in terminum vnivocum, & æquivocum ſit vera termini diviſio: quia tamen terminus æquivocus ad finem dialecticæ, vel ad ſyllogiſticè concludendum invtilis eſt: propterea termino æquivoco ſegregato, ſolum terminum vnivocum dividimus *in cathegorematicum*, & *ſyncathegorematicum*.

Terminus cathegorematicus ille eſt, *qui ſignificat aliquid per ſe.* Significare verò aliquid per ſe, eſt ſignificare aliquid per modum rei, ideſt per modum independentis ab alio, vt in propoſitione poſsit eſſe prædicatum, vel ſubiectum; ſicut homo, equus, &c.

Terminus ſyncathegorematicus eſt, *qui ſignificat aliquid aliqualiter.* Significare autem aliqualitèr, eſt ſignificare aliquid per modum modi afficientis aliquam rem, ſicut velocitèr, aut fortiter. Vndè terminus prædictus non po-

teſt in propoſitione eſſe ſubiectum, vel prædicatum per ſe ſolum, & ſine conſortio termini cathegorematici: vt patet inſignis vniverſalitatis, & particularitatis, *vt nullus*, *quidam*, quæ nunquam per ſe ſola componunt.

Arguitur contra. Velocitèr, ſe ſolo componit hanc propoſitionem, *velocitèr eſt terminus ſyncathegorematicus*. Ergo terminus ſyncathegorematicus ſe ſolo componere poteſt.

Confirm. Velociter, & velocitas ſignificant idem. Cum vtrumque ſignificet ipſam velocitatem. Sed velocitas eſt terminus cathegorematicus. Ergo etiam velociter.

Reſpond. neg. ant. Quia in propoſitione prædicta ſub intelligitur *hæc vox*. Et ita velocitèr, ratione vocis ſub intellectæ componit.

Ad confirm. reſp. diſt. mai. Idem eodem modo: neg. mai. Modo diverſo: conc. mai. Quia velocitas ſignificat velocitatem per modum rei; velocitèr verò ſignificat illam per modum modi, & ideò aliqualiter ſignificat.

Sed contra. Caſus rectus, & obliquus ſignificant diverſo modo. Et tamen: quia idem ſignificant ex parte rei, vterquè eſt terminus cathe-

thegorematicus. Ergo idem de velociter, & velocitate dicendum.

Reſp. diſt. mai. Diverſo modo in ratione notaminis, aut nominis: conc. mai. In ratione termini: neg. mai. min. & conſeq. Quia rectus, & obliquus ſignificant diverſo modo in ratione notaminis: ſed in ratione termini vterquè ſignificat rem per modum rei. Quando namquè dicimus habitus religioſi, vel palium Petri, non concipimus religioſum, & Petrum tanquam modum alterius, ſed per modum rei poſsidentis.

§. V.

De diviſione termini cathegorematici.

TERMINVS cathegorematicus *in communem, & ſingularem dividitur.* Terminus communis eſt, *qui ſignificat plura diviſim:* ſignificare verò plura diviſim, eſt ſignificare plura: ita, quod poſsit de pluribus affirmari, & terminus, pro pluribus ſupponere; vt ſi dicas: Petrus eſt homo, Paulus eſt homo.

Contra arguitur. Iſte terminus *Deus*, eſt terminus communis. Et tamen non ſignificat plura diviſim. Ergo diffinitio non convenit omni termino communi. Prob. min. Significat vnum tantum, videlicèt, ipſam Divinam naturam, quæ vnica, & ſingularis eſt. Ergo non plura diviſim.

Reſp. neg. min. ad probat. diſt. ant. Vnum ex parte rei ſignificatæ: conc. ant. Ex modo ſignificandi: neg. ant. & conſeq. Quia iſte terminus Deus ex parte rei ſignificatæ, ſignificat vnum tantum. Eo quod Deus in ſe ipſo ſingularis eſt: ſed ex modo ſignificandi, ſignificat plura diviſim. Quia realiter ſignificat naturam Divinam, quod ſi eſſent plures Dij, poſſet de quolibet affirmari.

Sed contra. Terminus non poteſt ſignificare Deum repugnantem. Sed plures Dij eſſentialiter repugnant. Ergo non poteſt ſignificare plura diviſim.

Reſp. diſt. mai. Deum repugnantem ex parte modi ſignificādi: conc. mai. Ex parte rei ſignificatæ: neg. mai. & ſub eadem diſt. min. neg. conſeq. Quia licèt plures Dij eſſentialiter re-

pug-

pugnent; non tamen oritur repugnantia ex modo ſignificandi. Nam terminus ex vi ſignificationis poteſt ſupponere pro pluribus, ſi plures Dij darentur. Et ideò dialecticè eſt terminus communis. Quia dialectica ſolùm attendit ad modum ſignificandi.

Terminus autem *ſingularis eſt, qui ſignificat vnum tantum.* Sicut Petrus, & de vno tantum poteſt affirmari: intelligitur tamen de vno per identitatem, aut vnum per collectionem, vt hic terminus *complutum*, qui ſignificat plura collectivè, & per modum vnius, & ita non poteſt de quolibet diviſivè affirmari: vt ſi dicas: Petrus eſt complutum, aut Petrus eſt populus. Si tamen populus comparetur ad omnes populos, de quolibet eorum poteſt affirmari. Et ideò eſt terminus communis in ordine ad omnes populos.

Contra arguitur. Iſte terminus, *Petrus, & Paulus*, eſt terminus ſingularis. Et tamen non ſignificat vnum tantum. Siquidem non ſolum Petrum, ſed etiam ſignificat Paulum. Ergo non omnis terminus ſingularis ſignificat vnum tantum.

Reſp. diſt. mai. Si ly *&*, ſumitur collectivè: conc. mai. Si ſumitur diviſivè: neg. mai. & ſub eadem diſt. min. neg. conſeq. Quia ſi ly *&* ſumitur diviſivè, poteſt de pluribus affirmari, vt ſi dicas: Petrus eſt Petrus, vel Paulus, Paulus eſt Paulus, vel Petrus.

Terminus item *communis* dividitur in *tranſcendentem*, & *non tranſcendentem*. Terminus tranſcendns eſt, *cuius ſignificatum per omnia genera divagatur*. Sicut res, ens, verum, bonum, aliquid, vnum. *Terminus non tranſcendens eſt*, cuius ſignificatum coarctatur ad aliquod genus, vt homo, vel animal.

Terminus etiam *ſingularis* dividitur *in ſingularem determinatum*, vt Petrus, & *ſingularem* demonſtrativum, vt hic homo; *&* *ſingularem ex ſuppoſitione*; vt titulus Beatæ Virginis. Nam ſuppoſito quod ſolus Chriſtus de Virgine natus eſt, Filius Virginis, ſolum ſignificat Chriſtum. *Singulare* verò *vagum* relinquimus: quia magis accedit ad terminum communem. Siquidem poteſt de pluribus affirmari, vt Petrus eſt quidam homo, Paulus eſt quidam homo.

Rur-

Rurſus etiam, terminus *cathegorematicus* dividitur *in collectivum*, & *diviſivum*. *Collectivus eſt, qui in ſingulari numero ſignificat plura copulatim*: & ſolùm poteſt affirmari de pluribus collectivè. Vt ſi dicas, Petrus, & Paulus, & alij cives, ſunt populus.

Terminus autem *diviſivus* eſt ille, qui ſignificat vnum tantùm, vel plura diviſim; ſicut Petrus, vel homo. Ex quibus habes differentiam inter terminos prædictos. Quia omnis terminus communis eſt diviſivus: non tamen omnis diviſivus eſt communis. Quia Petrus eſt terminus diviſivus. Et etiam omnis terminus collectivus eſt ſingularis; non tamen omnis ſingularis eſt collectivus, vt Petrus.

§. VI.

De alia diviſione termini cathegorematici.

DIVIDITVR terminus *cathegorematicus in abſolutum*, & *connotativum*. Terminus abſolutus eſt, *qui ſignificat aliquid per modum per ſe ſtantis*, vt homo; & albedo.

Sig-

Significare aliquid per modum per ſe ſtantis, eſt ſignificare aliquid per modum ſubſtantiæ, ideſt,ac ſi ſubiecto non inhæreret,ſivè res ſignificata ſit ſubſtantia,ſivè accidens.

Terminus *connotativus eſt, qui ſignificat aliquid per modum adiacentis*. Ideſt,ſignificando formam, & connotando ſubiectum, in quo forma reperitur,vt album. Ex quo habes terminum connotativum duplex habere ſignificatum; vnum materiale, videlicèt ſubiectum pro quo ſupponit, & accipitur in propoſitione: & aliud formale, ſcilicèt formam, & hanc eſſe principale ſignificatum.

Habes etiam, ad terminum connotativum non requiri formam verè inhærere;ſed ſatis eſt ipſam ſignificari per modum formæ inhærentis. Sicut rationale,& cæcum ſignificant rationalitatem, & cæcitatem, ac ſi eſſent formæ inhærentes, & ita ſunt termini connotativi;quamvis formæ verè non inhæreant.

Contra arguitur. Iſte terminus,*non intelligibile*, eſt terminus connotativus. Et tamen non ſignificat aliquid per modum alteri adiacentis. Ergo diffinitio non convenit omni diffini-

to per illam. Prob. min. Ille terminus nihil ſignificat. Nam ſi aliquid ſignificaret, maximè id, quod non eſt intelligibile. Et non intelligibile, non eſt ſignificabile. Quia, ſicut concipimus, ita ſignificamus. Ergo non ſignificat aliquid per modum alteri adiacentis.

Reſp. neg. min. ad probat. diſt. ant. nihil ex parte rei: conc. ant. nihil ex parte modi: neg. ant. Quia licèt ſignificet non intelligibile ex parte rei, illud tamen ſignificat, vt intelligibile ex parte modi, vel admodum intelligibilis, & eodem modo ſignificat aliquid per modum alteri adiacentis.

Ex dictis colligitur ſequentes terminos, *artifex*, *Pater*, & huiuſmodi alios, eſſe terminos connotativos, quia connotat aliquid, cui inhærent, ars, & Paternitas. Vndè intelliges terminum connotativum, non ſemper debere eſſe adiectivum, quia artifex, & Pater adiectiva non ſunt.

Vlteriùs etiam, dividitur terminus cathegorematicus *in concretum*, & *abſtractum*. Terminus *concretus eſt, qui ſignificat formam, vt in ſuppoſito.* Sicut album, & homo. Nam homo

homo ſignificat humanitatem, vt in habente, vel in ſuppoſito: & album ſignificat albedinem, vt in corpore habente ex modo ſignificandi.

Terminus *abſtractus eſt, qui ſignificat formam* per modum per ſe ſubſiſtentis. Sicut humanitas, & albedo. Quia licèt albedo repèriatur in ſubiecto, terminus tamen ſignificat illam nullum ſubiectum connotando. Ex quo oritur differentia inter terminum abſolutum, & abſtractum. Quia quamvis omnis abſtractus ſit abſolutus, non tamen econtra: nam homo eſt terminus abſolutus, & non abſtractus. Et ſimiliter licèt omnis connotativus ſit concretus, non tamen omnis concretus eſt connotativus, vt homo.

§. VII.

De alia eiuſdem termini diviſione.

DIVIDITVR etiam terminus *cathegorematicus* in terminum *primæ intentionis*, & *terminum ſecundæ intentionis.*

Ter-

Terminus primæ intentionis eſt, *qui ſignificat rem ſecundum illud, quod habet in re.* Sicut animal, & homo. Et terminus iſte dicitur primæ intentionis: quia ſignificat prædicata convenientia à parte rei. Et quia hæc primò concipiuntur: propterea termini illa ſignificantes dicuntur primæ intentionis.

Terminus autem *ſecundæ intentionis* eſt, *qui ſignificat rem ſecundum illud, quod habet ex conſideratione intellectus.* Vt genus, & ſpecies. Et quia talia prædicata non primò competunt rebus, ſed ſecundò, & per quandam reflexionem intellectus: propterea termini ſignificantes illa, ſecundæ intentionis appellantur.

Arguitur. Quia chymera eſt terminus primæ intentionis. Et ſpecieitas eſt terminus ſecundæ intentionis. Siquidem ſpecieitas ſignificat ſecundam intentionem fictam per actionem intellectus. Et tamen chymera non ſignificat aliquid ſecundùm illud, quod habet in re. Nam chymera non habet eſſe à parte rei. Nec etiam ſpecieitas eſt terminus ſecundæ intentionis. Ergo non rectè traditur vtraque diffinitio.

Fa-

Facile reſpondetur: Chymeram ſignificare rem ſecundum illud, quod habet in re; non quidem poſitivè: quia chymera poſitivè non habet eſſe à parte rei; ſed duntaxat negativè, ideſt, ſecundum id, quod rei non convenit accidentalitèr ex vi ſtatus quem habet in intellectu. Et cum chymera non ſignificet rem ſecundum illud quod habet ex vi ſtatus accidentalis in intellectu fingente, inde fit eſſe terminum primæ intentionis.

Ad aliud, etiam facilis eſt ſolutio. Quia licet ſpecieitas ſignificet ſecundam intentionem fictam: non tamen illam ſignificat per ordinem ad intellectum, vt fingentem de novo, & dantem aliud eſſe accidentale ſuperadditum; ſed illam merè concipientem ſecundum ſuam naturam. Et ideò eſt terminus primæ intentionis: ſicut ens rationis ſignificat aliquid fictum: Et tamen non eſt terminus ſecundæ intentionis. Quia ſignificat illud ſecundum ſuam naturam, & non ſecundum aliud eſſe ſuperadditum de novo. Ad hoc enim eſt neceſſarium quod terminus ſignificet ſecundam intentionem, vt ſuperadditam alicui ſubiecto, & exiſten-

ſtentem in illo, vt genus, & ſpecies.

Dividitur inſuper terminus *cathegorematicus infinitum*, & *infinitum*. Infinitus eſt, *qui ex modo ſignificandi nihil determinatum ſignificat, ſed tantum quod res non ſit*. Sicut non homo ſignificat quod non eſt homo, ſed nihil determinat. Terminus *finitus eſt, qui aliquid determinatum indicat*, vt homo, vel homo albus.

§. VIII.

De altera eiuſdem termini diviſione.

TERMINVS *cathegorematicus* vlterius dividitur in terminum *complexum*, & *incomplexum*. Terminus *complexus eſt, cuius partes ſunt per ſe ſignificativæ*, ideſt, quarum vna ſignificat independenter ab alia, vt homo albus.

Terminus *incomplexus eſt, cuius partes per ſe non ſunt ſignificativæ*. Ideſt, quarum vna non ſignificat independenter ab alia; ſicut homo, cuius partes ſunt duæ ſyllabæ nihil per ſe ſolas ſignificantes.

Ad perfectam tamen vtriuſquè termini notitiam præoculis habendum eſt, ad terminum complexum requiri plures voces ordinatas, quarum vna determinet aliam, vt ſi dicas: homo albus, Petrus, & Paulus, liber Franciſci. Quare: homo lapis, & huiuſmodi alia, ſunt plures termini incomplexi; non tamen faciunt vnum terminum complexum. Eo quod partes diſparatè ſe habent, & ſine aliquo ordine, vel connexione vtriuſquè.

Item requiritur terminum complexum pluribus ſubordinari conceptibus. Vndè gladius, enſis, Marcus Tullius, & alia ſynonoma non ſunt termini complexi. Quia eidem conceptui ambæ partes ſubordinantur: & propterea etiam nomina compoſitæ figuræ; ſicut armiger, legifer, Reſpublica, &c. non habent rationem termini complexi. Quia ex parte rei ſignificant idem, & vnico ſubordinantur conceptui. Et complexio, vel incomplexio principalitèr penſanda eſt penes vnitatem, vel pluralitatem conceptus. Et ideò littera *A*, eſſet terminus complexus: ſi imponeretur ad ſignificandum idem, quod homo albus. Eo quod in illo

illo eventu plures illi correſponderent conceptus.

Neceſſarium inſuper eſt ad terminum complexum, quod partes illius idem ſignificent intra totum,& extra totum:ita vt propriam ſignificationem exerceant intra ipſum terminum complexum,& ſignificatio totius termini reſultet ex ſignificatione partium: vt in hoc *homo albus*, ly *albus* per ſe ſignificat albedinem deformali, & *homo* hominem: & dum partes copulantur, ſignificant hominem habentem albedinem. Ex quo ſequitur *Dominum* non eſſe terminum complexum.Quia partes ſignificant *dare minus*;& *Dominus* ſignificat habentem dominium.Vndè ſignificatio totius ex ſignificatione partium minimè reſultat.

Contra arguitur. Terminus complexus diffinitur, cuius partes ſunt per ſe ſignificativæ. Sed hoc totum convenit orationi. Ergo diffinitio tradita convenit alijs à diffinito.Et conſequenter bona non eſt.

Reſp.diſt.min. Totum materialiter: conc. min.Totum formalitèr: neg.min. & conſe Quia terminus complexus non habet pai

per modum totius, ſed per modum partis conſideratus formaliter. Eo quod omnes partes illius ſimul ſumptæ ſubordinantur eidem intentioni termini,& partis per ſe ordinabilis ad propoſitionem componendam. Oratio verò habet partes per modum totius, & illas reſpicit ibi ſiſtendo; non tamen per ſe ad alterum componendum ordinatur.

Poſt diviſiones prædictas conſiderandum eſt inter terminos prædictos alios eſſe impertinentes, *quorum neuter alterum infert*, *aut alteri repugnat* ,Vt doctus iuſtus. Alios eſſe pertinentes , *quorum alter alterum infert* , *aut alteri repugnat*. Ex quibus aliqui ſunt pertinentes ſequela, *quorum alter alterum infert*, ſicut diſcurſivum, & homo. Aliqui verò pertinentes repugnantia, *Quorum alter alteri repugnat* , & *infert non eſſe alterius*, vt nigrum , album. Alij convertibiles, vt diſcurſivum, & homo, qui ſe mutuò inferunt. Alij non convertibiles , *quorum vnus alterum infert*, *& non ècontra*, Vt homo,vivens.

Pertinentes autem *repugnantia* , aliqui ſunt *diſparati*, vt homo æquus. Aliqui oppoſiti, vt cur-

currens, & non currens: oppoſiti contradictoriè, aut privativè vt videns, & cœcus: aut contrariè, vt frigidum calidum: aut relativè, ſicut Dominus, & ſervus. Quæ doctrina maiori explicatione non indiget.

CAPITVLVM V.

DE NOMINE, ET VERBO.

§. I.

Diffinitio Nominis explicatur.

TANDEM terminus *cathegorematicus* dividitur *in Nomen*, & *Verbum*, quæ ſunt partes principales orationis. Ex quibus nomen eſt, *vox ſignificativa ad placitum ſine tempore cuius pars per ſe ſignificativa, ſeparata, finita, & recta.* Cuius diffinitionis tres primæ particulæ manent explicatæ ſuperius. Alia verò particula, *ſine tempore*, ponitur ad differentiam verbi. Nam verbum ſignificat actionem, & motũ per modum fluentis, &

 egre-

egredientis à ſubiecto. Nomen verò ſignificat aliquid, vt ſtans, non tamen per modum motus. Vndè licèt aliqua nomina ſignificent tempus, ſicut hora, menſis, & annus: & alia connotent tempus, in quo res exercetur, ſicut prandium, & cœna connotant tempus meridianum, & nocturnum; nullum tamen nomen ſignificat propriè cum tempore, vt clarius ex dicendis §. ſequenti conſtabit.

Illa verò particula, *cuius nulla pars per ſe ſignificatiua ſeparata*, excludit terminum complexum, & orationem, quorum partes etiam ſeparatæ ſignificant idem. Et ideò terminus complexus, & oratio, non quidem vnum nomen, ſed plura nomina ſunt.

Finita, excludit terminum infinitum, qui non ſignificat aliquid determinatum, ſicut non homo, qui nec parietem, nec equum, nec hominem, vel aliud ſignificatum determinatum habet. Et ideò non eſt nomen. Quia nomen debet eſſe notamen alicuius rei certæ, & determinatæ.

Alia verò particula *recta*, excludit caſus obliquos. Quia nomen eſt notamen rei, & per ip-

ipſum rem nominamus. Solùm autem nominamus per caſum rectum, vel nominativum, non verò per alios caſus, qui nō ſignificant rem abſolutè, & directè, ſed per modum cuius, vel cui. Et ideò caſus prædicti non poſſunt per ſe ſolos eſſe totale extremum propoſitionis, vel reddere ſuppoſitum verbo.

Ex quo habes, Ariſtotelem ſolùm nomen vocale diffiniſſe tanquam aliquid magis notum. Si tamen velis nomen in communi diffinire, dices: *Eſſe ſignum ſignificans ſine tempore incomplexum finitum, & rectum.*

Habes etiam, participium eſſe verum nomen. Cum ſit terminus cathegorematicus incomplexus, finitus, & rectus. Et etiam ſignificans ſine tempore: cum ſignificare cum tempore ſolum poſſit verbo convenire. Et inſuper: quia licèt *amans*, ſignificet actionem amandi; non tamen illam ſignificat in recto, ſed primò, & in recto ſignificat perſonam amantem, & in obliquo actionem amandi. Nam amans ſignificat illum, qui amat. Vndè primò perſonam, & ex conſequenti actionem ex modo ſignifican-

di. In qua doctrina à pluribus Thomiſtis diſſentimus, ſed veriores ſequimur.

Contra diffinitionem arguitur. Terminus infinitus videlicèt, non homo, habet partes ſignificativas videlicèt, *non, & homo*. Ergo excluditur per illam particulam *ſeparata*, & non per illam *finita*.

Confirm. ab oppoſito. Non homo ſignificat negationem hominis. Sed negatio hominis eſt aliquid determinatum. Ergo aliquid determinatum ſignificat. Et conſequenter non benè excluditur.

Reſp. diſt. ant. Significativas ſimplici ſignificatione: conc. ant. Significatione complexa: neg. ant. & conſeq. Quia in termino prædicto ſignificatio vtriuſque partis, non eſt formalitèr duplex; ſed vna, & eadem, & vnico conceptui ſubordinata. Quia non homo tantum repræſentat vnam, & eandem rem, videlicèt negationem hominis in aliquo concreto; non tamen duas res, quarum vna determinet aliam. Et ideò non per particulam *recta*, ſed per alteram excluditur.

Ad

Ad confirm. diſt. min. Determinatum vt *quod*: conc. min. Vt *quo*: neg. min. & conſeq. Quia quamvis negatio hominis, conſiderata vt *quod*, ſit aliquid determinatum, quatenus eſt negatio hominis, & non equi; ſi tamen conſideretur, vt *quo* per reſpectum ad ſubiectum, aliquid determinatum non eſt. Siquidem poteſt convenire equo, & lapidi, non enti, vel nihilo. Nomen verò non ſolum debet ſignificare determinatam formam, ſed etiam in determinato ſubiecto ſaltem genericè. Sicut cœcum ſignificat negationem viſus in ſubiecto genericè determinato. Aliàs non erit nomen, abſolutè loquendo, rei certæ notamen.

§. II.

Explicatur Verbi diffinitio.

VERBVM in præſenti accipitur cum omni proprietate, quatenus ſignificat actionem, vel paſsionem, provt exercetur in tempore, vel aliquid admodum actionis, aut paſſionis ex modo ſignificandi. Sicut hoc verbum,

quieſco ſignificat quietem: quia tamen illam ſignificat admodum actionis ex modo ſignificandi, propterea eſt verè verbum.

Diffinitur autem verbum, *vox ſignificativa ad placitum cum tempore, cuius nulla pars per ſe ſignificativa ſeparata, finita, & recta, & eſt nota eorum, quæ prædicantur*. Particula cum tempore ponitur ad differentiam nominis, vt ibidem explicatur relinquimus.

Particula *ſeparata* excludit verba complexa, quæ ſunt plura verba, & non vnum: & diverſis ſubordinantur conceptibus. Particula *finita*, excludit verbum infinitum, vt non curro, ly *non* infinitanter accepto: quod quidem non ſignificat determinatam actionem; ſed ſolùm negationem actionis determinatæ.

Particula *recta* excludit verbum obliquum, omnia videlicèt verba, quæ non ſunt temporis præſentis Eo quod ſolùm verbum temporis præſentis ſignificat actionem, provt in fieri fluentem, & egredientem ab agente: alia verò verba ſignificant actionem factam, vel faciendam. Et ita non ſunt verè verba.

VI.

Vltima tandem particula, *& eſt nota, &c.* excludit participium à ratione verbi. Quia licet participium nõ ſignificet cum tempore per ſe primo, & in recto, vt diximus, in diffinitione nominis, & ita maneat iam antecedenter excluſum: expræſsius tamen excluditur per particulam iſtam. Eo quod nullo modo vnit prædicatum cum ſubiecto.

Contra diffinitionem arguitur. Verbum *legit*, eſt vere verbum. Et tamen eſt complexum. Ergo verba complexa non rectè excluduntur. Prob. min. Subordinatur pluribus conceptibus. Ergo eſt complexum. Prob. ant. *Legit*, æquivalet illi complexo, *eſt legens*. Sed hoc complexum ſubordinatur pluribus conceptibus. Ergo verbum legit pluribus ſubordinatur.

Reſp. neg. min. & ant. probativum illius, ad probat. diſt. mai. Æquivalet in conſequendo: conc. mai. Quia ab vno alterum valet conſeq. Æquivalet in ſignificando: nego mai. Quia ly *eſt legens* habet duplicem ſignificationem, & ly *legit* vnam tantum ſignificationem habet. Et ita complexus non eſt.

Secundò arguitur. Verbum obliquum verè vnit prædicatum cum ſubiecto, vt in hac propoſitione, *homo fuit albus.* Ergo eſt verè verbum. Quia vltima differentia verbi eſt vnire prædicatum cum ſubiecto,

Reſp. Differentiam verbi eſſe vnire ſignificando agere, vel pati pro tempore præſenti; quod verbum obliquum non habet. Et ita non eſt verè verbum.

Etſi dicas: Omnis propoſitio conſtat nomine, & verbo. Sed propoſitio prædicta non habet aliud verbum, niſi verbum *fuit.* Ergo illud eſt verè verbum.

Reſpond. Omnem propoſitionem debere conſtare verbo recto, vel obliquo. Quia quodlibet eorum poteſt verè vnire. Et conſequenter veram conſtituere propoſitionem; non tamen ad propoſitionem neceſſarium eſt verbum rectum, quod ſolùm habet eſſentiam verbi; qualiter de illo Ariſt. diſputabat.

Sed inſtabis. Terminus adæquatè dividitur in nomen, & verbum. Sed verbum *fuit* eſt verè terminus, & non verè nomen. Ergo verè verbum.

Reſp.

Reſp. diſt. mai. Terminus cathegorematicus rectus: conc. mai. Terminus cathegorematicus abſtrahens à recto, & obliquo: neg. mai. Ex quo ſolùm ſequitur non dari terminum cathegorematicum rectum, qui non ſit verè nomen, aut verè verbum.

Etſi dicas: ergo terminus diviſus in nomen, & verbum eſt cathegorematicus rectus. Ergo terminus obliquus manet excluſus per diviſum. Ergo particula *recta* non eſt neceſſaria in diffinitione nominis, & verbi ad excludenda obliqua.

Reſpond. Diviſionem termini in nomen, & verbum tantùm eſſe termini recti in rei veritate: ſed quia in diviſione, licèt dicatur implicitè, non tamen explicatur omnis qualitas diviſi: propterea ad maiorem explicationem, ponitur particula *recta*, quæ propter iſta ſuperflua non eſt.

LI-

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

CAPITVLVM PRIMVM.

DE ORATIONE.

§. I.

Natura Orationis explicatur.

NON accipimus in præſenti *Orationem* pro ea, quæ à grammaticis appellatur oratio, quæ quidem ex nomine, & verbo conſtat: ſed ſumimus orationem pro ea, quæ habet partes, etiamſi ſint duo nomina, vel duo verba. Et provt ſic communiter diffinitur, *vox ſignificativa ad placitum, cuius partes ſeparatæ aliquid ſignificant, vt di lio, non vt affirmatio, vel negatio.* In qua diffinitione tres primæ particulæ ſatis in præcedentibus capitulis explicatur. *Cuius partes*, ſicut indiffinitione termini complexi intelligitur. Vltima tamen denotat ad orationem non requiri quod

quod illius partes ſint propoſitiones, ſed ſuffi-
cere quod dictiones ſimplices ſint.

Verùm licet terminus complexus, & oratio quandoque inveniantur in eodem materiali, ſemper tamen formaliter diſtinguuntur. Quia terminus complexus pro ſubſtracto materiali habet partes; ſed de formali ſolùm importat vnicam ſecundam intentionem partis per ſe ordinabilis ad propoſitionem componendam. Oratio verò pro formali dicit intentionem totius, & non partis per ſe ordinabilis ad alterum componendum.

Dividitur *oratio* in perfectam, & imperfectam. Perfecta eſt, *quæ perfectum generat ſenſum in animo audientis*. Imperfecta verò, *quæ generat imperfectum ſenſum*. Generare perfectum ſenſum eſt non relinquere ſuſpenſum audientem, quod facit hæc oratio, *Petrus currit*. Generare ſenſum imperfectum, eſt relinquere auditorem ſuſpenſum circa illud, quod vult aſſerere proferens.

Contra arguitur. Quia diffinitio eſt oratio imperfecta, vt per ſe manifeſtum eſt. Et tamen non generat imperfectum ſenſum. Siquidem per-

perfectè explicat eſſentiam rei: & audiens verè concipit eſſentiam. Ergo diffinitio orationis imperfectæ omni diffinito non convenit.

Reſp.diſt.min. Eſſentiam, vt obiectum ſimplicis appræhenſionis: conc.min. Vt obiectum iudicij: nego min.& conſeq. Quia per diffinitionem perfectè appræhendimus quidditatem, quam ipſa explicat; non tamen poſſumus formare iudicium de dicto loquentis. Nam dum audimus animal rationale tantum, non poſſumus iudicare quid faciat, vel non faciat, vel quid intendat aſſerere proferens: & hoc vltimum erat neceſſarium ad ſenſum perfectum generandum.

Vlterius dividitur oratio in enuntiativam, *quæ ſignificat verum, vel falſum.* Et in orationem non enuntiativam, *quæ nihil affirmat, vel negat.*

Tertiò dividitur in orationem quæ eſt modus ſciendi, de qua ſtatim infra dicemus: & orationem quæ modus ſciendi non eſt, vt homo diſputat.

Tandem dividitur in orationem indicativam, vt Petrus currit: Et imperativam, ſicut fac

Digitized by Google

fac hoc:& optativam,vt vtinam diſputares: Et interrogativam,vt quare dormis:& depræcativam,vt parce mihi Domine.

§. II.

De modo ſciendi.

MODVS ſciendi eſt , *oratio alicuius ignoti manifeſtativa.* Et in diffinitione,*oratio* ponitur loco generis. Quia in hoc omnes orationes conveniunt. *Ignoti manifeſtativa*, ponitur loco differentiæ. Nam per hoc diſtinguitur modus ſciendi à cæteris orationibus , quæ rationem modi ſciendi non habent , ſed ſolum rem manifeſtant : vel per ſimplicem manifeſtationem , vt quodcumque ſignum : vel per ſimplicem enuntiationem , vt quælibet propoſitio.

Contra arguitur. Diffinitio modi ſciendi non convertitur cum modo ſciendi. Ergo bona non eſt. Nam omnis bona diffinitio,cum diffinitio convertitur. Sicut benè valet , *&* *animal rationale.* Ergo , *homo.* Et *eſt homo.*Ergo *ani-*

animal rationale. Ant. probatur. Inferius non poteſt cum ſuperiori converti. Vndè non valet, *eſt animal. Ergo homo.* Sed diffinitio modi ſciendi eſt inferior ad ipſum. Siquidem inferior eſt ad diffinitionem vt ſic. Et diffinitio, vt ſic eſt ſpecies modi ſciendi, & inferior ad ipſum. Ergo diffinitio modi ſciendi non convertitur cum illo.

Reſp. diſt. ant. Secundò intentionaliter ſumpta: conc. ant. Primò intentionaliter accepta: neg. ant. & conſeq. Quia diffinitio primò intentionaliter ſumpta, & quantum ad id, quod ſignificat, convertitur cum modo ſciendi. Nam eadem ſunt vtriuſque prædicata: quamvis ſecunda intentio diffinitionis non convertatur cum diffinito, ſed potius illi repugnet: nec hoc neceſſarium eſt, vt diffinitio bona ſit.

Modus tamen ſciendi adæquatè dividitur in diffinitionem, diviſionem, & argumentationem. Cuius ratio ea eſt. Quia quidquid ignoratur de obiecto, vel eſt eſſentia, vel partes, vel proprietates. Si eſſentia: manifeſtatur per diffinitionem, quæ explicat eſſentiam rei. Si partes: per diviſionem. Quia totum in partes di-

dividitur. Si proprietas: per argumentationem manifeſtatur, per quam probatur proprietatem convenire. Ergo quidquid ignoratur de obiecto, manifeſtatur artificioſo modo per diffinitionem, diviſionem, & argumentationem. Et conſequenter diviſio adæquata eſt.

Et ſi dicas: Hanc propoſitionem, *homo eſt animal rationale*, manifeſtare eſſentiam hominis. Nam prædicatum continet totam hominis eſſentiam. Ergo etiam eſſentia obiecti manifeſtatur per propoſitionem. Et conſequenter propoſitio numeranda erit inter membra dividentia.

Reſpondetur diſt. ant. Manifeſtare dicendo *quod eſt*: conc. ant. Dicendo *quid ſit*: neg. ant. & ſub eadem diſtinctione neg conſeq. Quia per illam propoſitionem manifeſtatur eſſentia dicendo *quod eſt*. Eo quod per illam affirmatur de ſubiecto per ſimplicem enuntiationem; non tamen per illam manifeſtatur eſſentia dicendo *quid eſt*, & artificioſo modo conducenti ad ſcientiam formaliter. Siquidem per talem propoſitionem non dicitur quid eſt homo, vel in quo illius eſſentia conſiſtat.

§. III.

De Diffinitione.

DIFFINITIO *eſt, oratio naturam rei explicans.* In qua diffinitione *oratio* ponitur loco generis, vt ſupra: & ad diviſionem, propoſitionem, & argumentationem communis eſt. Alia particula ponitur loco differentiæ. Quia ſola diffinitio explicat naturam rei.

Diffinitio autem eſt triplex, *eſſentialis*, videlicèt, *deſcriptiva*, *& cauſalis. Eſſentialis* eſt, *quæ datur per partes eſſentiales*: & hæc duplex. Vna *metaphyſica*, quæ datur per proprium genùs, & propriam differentiam metaphyſicam. Sicut homo diffinitur per *animal rationale*. Alia eſt *phyſica*, quæ datur per materiam, & formam. Sicut homo diffinitur *compoſitus ex corpore, & anima rationali.* Diffinitio *deſcriptiva eſt, quæ datur per accidentia propria.* Vt cum diffinitur homo per *animal riſibile.* Si verò diffinitio detur per accidentia communia,

vt

Digitized by Google

vt ſi dicas :homo *animal album*, non eſt propriè deſcriptiva,ſed purè accidentalis eſt. Diffinitio *cauſalis eſt*,quæ datur per extrinſecas cauſas, vt cum diffinitur homo,*factus à Deo, vel propter beatitudinem factus*.

Tres conditiones ad bonam diffinitionem requiruntur. Prima eſt,quod conſtet genere,& differentia.Quia eſſentia diffiniti ex genere, & differentia componitur : & diffinitio explicat eſſentiam; non tamen requiritur neceſſario diffinitionem conſtare genere rigoroſo, ſed ſatis eſt conſtare prædicato communi, in quo diffinitum conveniat cum alijs: debet tamen in illo vltimò convenire. Vndè non rectè diffiniretur homo, per eſſe corpus naturale. Quia in ratione corporis naturalis non vltimò convenit,ſed ſolùm in ratione animalis.

Secunda conditio eſt,diffinitionem debere eſſe clariorem ſuo diffinito. Quia explicat ipſum, & ita debet eſſe clarior : ſicut lux clarior eſt, quia cætera manifeſtat. Vndè non poteſt diffinitio tradi per nomina æquivoca, aut nomina alluſiva. Aliàs clarior non eſſet.

Tertia conditio eſt.Diffinitionem non de-

bere eſſe diminutam. Quia ſi aliquod prædicatum eſſentiale difficit, non explicabit totam eſſentiam diffiniti, Nec debere eſſe redundantem. Quia id, quod ſuperadditur ſuperfluum erit ad explicandam eſſentiam. Qua propter diminutè diffinitur homo per eſſe *animal*: & ſuperfluè, vel redundanter, per eſſe *animal rationale mortale*.

Ex his habes reſponſiones dandas eſſe interroganti iuxta diffinitiones diverſas acomodatas ad modum interrogandi, Nam quærenti quid ſit homo? reſpondendum eſt per diffinitionem quidditativam. Interroganti verò qualis ſit? diffinitione deſcriptiva reſpondetur. Interroganti autem, à quo, vel propter quid ſit? reſpondendum eſt per cauſam efficientem, & finalem.

Contra diffinitionem diffinitionis arguitur. Quia illa non prædicatur de omni diffinitione. Nam falſum eſt, quod quæcumque diffinitio, ſit hæc diffinitio. Ergo bona non eſt: ſiquidem non prædicatur de omni diffinito per ipſam.

Reſpond. diſt. ant. Secundò intentionaliter ſump-

ſumpta: conc. ant. Primò intentionaliter accepta: nego ant. & conſeq. Nam primò intentionaliter ſumpta, & quantum ad rem ſignificatam, prædicatur de omni diffinitione. Siquidem omnis difinitio eſt oratio naturam rei explicans, quæ ſunt prædicata iſtius diffinitionis: Et eodem modo dicitur ad convertentiam cum ſuo diffinito, quamvis ſecunda intentio difinitionis vt ſic, illi ſoli conveniat.

Iuxta doctrinam traditam, diffinitio quid nominis, diffinienda eſt, quod videlicet eſt *oratio termini ſignificationem exponens*. Sicut diffinitur *album*, quod ſit *habens albedinem*, per quæ prædicata ſignificatio albi explicatur.

§. IV.

De Diviſione.

DIVISIO nominis eſt illa, *qua terminus per ſuas ſignificationes dividitur*. Sicut cum dicitur canis, alius latrabilis, alius Cœleſtis, & alius Marinus. Sed quia hæc diviſio, vel non eſt ſimpliciter talis, vel inter diviſiones

per accidens continetur. Propterea illa omiſſa.

Diviſio quid rei diffinitur, eſt, *oratio rem per ſuas partes diſtribuens.* Et eſt duplex, alia per ſe, qua totum dividitur in partes, quæ per ſe conveniunt diviſo, vel ſub illo continentur: ſicut animal dividitur in rationale, & irrationale. Diviſio per accidens eſt diviſio per partes accidentaliter convenientes. Et alia eſt ſubiecti in ſua accidentia, vt homo dividitur in album, & nigrum. Alia eſt accidentis in ſubiecta, vt album dividitur in papyrum, & nivem. Alia accidentis in accidentia, vt album dividitur in dulce, & amarum.

Diviſio per ſe etiam duplex eſt. Alia totius integralis, ſicut homo dividitur, in caput, manus, & pedes. Alia quidem eſt poteſtatis, vel totius poteſtativi, per quam virtus cauſæ dividitur in potentias, vt cum dicitur in homine alia potentia eſt voluntas, & altera intellectus.

Alia ſimiliter eſt diviſio eſſentialis, qua res per partes eſſentiales dividitur, aut metaphyſicè, vt cum dicitur, animal aliud rationale, & aliud

aliud irrationale,& in homine aliud prædicatum animal, & alterum rationale. Aut phyſicè tantum; vt cum dicitur, in homine alia pars materia,& altera forma.

Tria tamen requiruntur ad bonam diviſionem. Primum eſt, ſingula membra dividentia eſſe inferiora diviſo: ideſt nullum eſſe ita vniverſale, ſicut diviſum. Eo quod diviſum non ſolùm extenditur ad vnum membrum, ſed etiam ad alia.

Et ſi dicas: Corpus benè dividitur in ſenſibile,& in inſenſibile. Et tamen inſenſibile non eſt inferius diviſo. Siquidem Angelus eſt inſenſibilis: & non eſt inferior ad corpus. Quia in corporeus eſt. Ergo prædicta conditio non eſt neceſſaria.

Reſpond. inſenſibile quod eſt membrum dividens, eſſe inſenſibile corporeum. Quia hoc ſolùm participat rationem corporis: & hoc inſenſibile eſt inferius ad corpus, nec ſub illo Angelus continetur.

Secunda conditio ad bonitatem diviſionis exacta eſt, membra dividentia ſimul ſumpta adæquare diviſum:& nihil contineri ſub diviſo,

ſo;quod non contineatur ſub aliquo ex membris dividentibus. Aliàs diviſum extendetur ad aliquod aliud. Et conſequenter diviſio in membra prædicta, adæquata non erit.

Tertia conditio eſt, membra dividentia debere diſtingui realiter, vel ſaltem formaliter, vt cum ens dividitur in verum, & bonum, quæ formaliter diſtinguuntur.

Ex dictis inferuntur quinque loci arguendi in diviſione formari. Primus eſt, à diviſo ad omnia membra dividentia, ſimul ſumpta: & ab illis ad ipſum, optima conſequentia eſt, ſivè negativè, ſivè affirmativè. Vt cum dicitur, *eſt animal, Ergo rationale, vel irrationale. Non eſt rationale, nec irrationale. Ergo non eſt animal.*

Secundus locus eſt, à diviſo cum negatione vnius membri, vel plurium, ad illud quod reſtat. Vt ſi dicas, *eſt animal, & non rationale. Ergo irrationale.*

Tertius eſt, à poſitione vnius membri ad negationem alterius, quando membra realiter diſtinguuntur. Vndè benè valet, *eſt irrationale. Ergo non eſt rationale.*

Quartus eſt, à diviſio ad quodlibet membro-

bro-

brorum dividentium negativè. Vt cum dicitur, non eſt animal. Ergo non eſt rationale. Si verò affirmative arguatur, erit mala conſequentia, ſicut hæc: eſt animal. Ergo rationale. Vndè proverbium Dialecticorum ortum eſt, quod à ſuperiori ad inferius negativè eſt bona conſequentia, & affirmativè mala.

Quintus locus eſt, à quolibet membrorum dividentium ad diviſum affirmativè, eſt bona conſeq. Vt benè valet, eſt *ratione. Ergo animal.* Negativè verò bona non eſt. Sicut non valet, *non eſt rationale. Ergo non eſt animal.* Quia poteſt eſſe irrationale.

§. V.

De Argumentatione.

VLTIMA ſpecies modi ſciendi eſt *argumentatio*, quæ communiter diffinitur, *oratio in qua vno dato alterum ſequitur.* In qua, ſecunda particula ponitur loco differentiæ. Nam per illam diſtinguitur argumentatio à diffinitione, diviſione, & propoſitione.

Tria

Tria habet argumentatio, *antecedens*, videlicet, & *conſequens*, & *notam illationis*. *Antecedens* eſt illud, ex quo ſequitur conſequens, & ſolet vocari *præmiſſa*: quia præmittitur, aut prius ponitur. *Conſequens* eſt illud, quod infertur ex antecedenti, & appellatur *concluſio*: quia in ea concluditur argumentatio. *Nota verò illationis*, eſt quędam copula, per quam antecedens vnitur cum conſequenti, & explicat vim inferendi, quod totum patet in hoc entimmemate, *Petrus eſt homo. Ergo eſt riſibilis.* In quo prima propoſitio vocatur *antecedens*, & ſecunda *conſequens*, & ly *ergo*, nota dicitur illationis.

Contra arguitur. Hæc conſequentia, *homo eſt lapis. Ergo eſt ſubſtantia*, habet omnia ſupradicta, antecedens videlicet, & conſequens, & notam illationis. Et tamen argumentatio non eſt. Ergo diffinitio argumentationis non rectè explicatur. Prob. min. Prædicta conſequentia non eſt modus ſciendi. Ergo nec argumentatio. Quia arguitur à ſuperiori ad inferius negativè. Prob. ant. In prædicta conſequentia, antecedens, cum ſit falſum, non po-

teſt manifeſtare conſequens. Ergo prædicta conſequentia modus ſciendi non eſt.

Reſpond. Antecedens eſſe materialiter falſum; ſed formaliter eſſe verum. Quia non manifeſtat, & infert, niſi quatenus habet aliquid de veritate.

Dividitur argumentatio ratione formæ diſcurſus, ratione notæ illationis, & ratione qualitatis. Ratione formæ diſcurſus dividitur in *ſyllogiſmum*, in *Entimmema*, *Inductionem*, & *Exemplum*. *Syllogiſmus conſtat* tribus propoſitionibus, quarum prima dicitur *maior*, ſecunda *minor*, & tertia *concluſio*. Vt cum arguimus, *omnis homo eſt riſibilis. Petrus eſt homo. Ergo Petrus eſt riſibilis. Entimmema* verò conſtat duplici propoſitione, antecedenti videlicet, & conſequenti, vt cum arguitur, *Petrus currit. Ergo inquvetur*. Et hæc dicitur ſyllogiſmus truncatus: Quia vna propoſitio deficit illi.

Inductio eſt argumentum à ſingularibus, quæ ſenſibus experimur ad probandam vniverſalem propoſitionem: vt cum arguitur, hic ignis calefacit, & ille, & ille. Ergo omnis. *Exemplum*

plum eſt, quando ex vno ſingulari arguimus ad alterum ſimile. Vt Deus pepercit Latroni. Ergo parcet nobis pœnitentiam agentibus.

Ratione verò notæ illationis, dividitur argumentatio in conditionalem, rationalem, & cauſalem. Conditionalis eſt, *cuius partes copulantur per particulam ſi.* Quæ quidem erit bona conditionalis, quamvis antecedens ſit falſum, dummodo conſequentia bona ſit. Vt cum dicitur, *ſi homo volat, habet alas.* Quia ex quo volet, bene ſequitur habere alas. Et inde oritur proverbium, *quod conditionalis nihil ponit in eſſe.*

Rationalis eſt, cuius partes copulantur per particulam ergo: & requirit antecedens eſſe verum: vt cum dicitur, *homo eſt riſibilis. Ergo eſt rationalis.*

Cauſalis eſt, cuius illatio denotatur per particulam *quia.* Et requirit quod antecedens ſit verum, & quod ſit cauſa conſequentis, & ita eſt vera cauſalis, *quia homo eſt rationalis eſt riſibilis*: non tamen quia eſt riſibilis eſt rationalis. Quia riſibilitas reſpectu rationalitatis cauſa non eſt.

Ex

Digitized by Google

Ex his habes, cauſalem plus exigere ad ſui veritatem, quàm exigat rationalis: & ipſam rationalem plus etiam exigere, quàm conditionalis requirat. Et ideò non valet benè à rationali ad cauſalem, nec à conditionali ad vtramque: ſed à cauſali ad alias, bona conſequentia eſt.

CAPITVLVM II.

DE PROPOSITIONE.

§. I.

Propoſitionis diffinitio explicatur.

ET ſi Propoſitio, & Enuntiatio differant ex modo ſignificandi, quatenus enuntiatio appellatur ſecundùm quod vnum de altero enuntiat, & tàm præmiſsis, quàm concluſioni communis eſt; Propoſitio verò ſolùm convenit præmiſsis. Nam dicitur talis, ſecundùm quod ponitur in ſyllogiſmo ad aliquid inferendum: in præſenti tamen propoſitio, & enuntia-

tiatio pro eodem accipiuntur. Et diffinitur communiter *Propoſitio, eſt oratio verum, vel falſum ſignificans.* In qua diffinitione oratio ponitur loco generis. Quia in ratione orationis conveniunt omnes orationes ſivè ſint propoſitiones, ſivè non. Alia particula ponitur loco differentiæ. Quia nulla oratio à propoſitione diſtincta verum, vel falſum ſignificat.

Significare tamen verum, vel falſum dupliciter accipi poteſt, exercitè videlicet, & ſignatè. Significare verum, vel falſum ſignatè, eſt ſignificare ipſum ex vi impoſitionis: ſicut iſte terminus verum ſignificat verum, & iſte terminus falſum, ſignificat falſum. Significare autem verum, vel falſum exercitè, eſt ſignificare rem provt eſt, vel aliter ac eſt. Vndè ortum eſt proverbium, *quod ab eo quod res eſt, vel non eſt propoſitio dicitur vera, vel falſa,* vt hæc eſt vera. *Homo eſt riſibilis.* Quia ita eſt ſicut ipſa affirmat: & hæc falſa eſt, *homo non eſt rationalis.* Quia non eſt ita ſicut ipſa negat. Vndè veritas, vel falſitas in propoſitione vocali, & ſcripta reperitur tanquam in ſigno. Et in propoſitione mentali reperitur etiam, vt in ſig-

ſigno veritatis obiectivæ,& tanquam in ſubiecto veritatis formalis. In obiecto verò reperitur tanquam in cauſa veritatis.

Contra tamen arguitur. Nulla diffinitio poteſt dari per oppoſita. Quia diffinitio explicat eſſentiam. Et nulla eſſentia habet oppoſita prædicata, ſed potius in eodem convenientia,& adunata in eodem,præter oppoſitionem, cuius eſſentia in affirmatione, & negatione, vel in prædicatis oppoſitis conſiſtit. Sed diffinitio tradita propoſitionis datur per oppoſita,videlicet,per verum,vel falſum. Ergo bona non eſt.

Reſpond.diſt.mai. Per oppoſita copulativè:conc.mai.Per oppoſita diviſivè:nego mai. & diſtin.min.Per oppoſita diviſivè: conc.min. Copulativè: nego min.& conſeq. Quia propoſitio diffinitur per oppoſita diviſivè, quod non implicat:ſicut accidens diffinitur per poſſe ad eſſe, vel ab eſſe abſque ſubiecti corruptione.

Contra tamen. Non poteſt homo diffiniri per rationale, vel irrationale. Et tamen ſunt oppoſita diviſivè. Ergo non poteſt diffinitio da-

dari etiam per oppoſita diviſivè.

Reſp.diſt.conſequens. Quando natura rei petit vnum determinatè ex oppoſitis : conc. conſeq. Quando indifferens eſt ad vnum , vel alterum:nego conſeq. Quia, ſi non eſt rationalis,non eſt homo. Et ideò homo determinatè rationalitatem petit. Sed eſſentia propoſitionis ſalvatur in enuntiatione, ſivè enuntiatio,vel vera,vel falſa ſit.

§. II.

De prima diviſione propoſitionis.

DIVIDITVR *propoſitio* ratione ſubſtantiæ, ratione quantitatis, qualitatis, & materiæ. Ratione quidem ſubſtantiæ dividitur in Cathegoricam , & Hypoteticam. Cathegorica eſt,*quæ conſtat ſubiecto, copula , & prædicato tanquam ex partibus principalibus ſui*: ſicut *Petrus eſt doctus. Subiectum eſt* , illud de quo aliquid affirmatur , vel negatur : *Prædicatum* verò,quod de alio dicitur ſivè per affirmationem,ſivè per negationem. Et ſubiectum du-

duplex eſt. Aliud attributionis, de quo dicitur prædicatum. Aliud ſolius diſtributionis, vt in hac, *cuiuslibet hominis equus currit*, ly *hominis*, eſt ſubiectum ſolius diſtributionis. Quia verè diſtribuitur, ſed de illo non dicitur prædicatum.

Copula etiam duplex eſt. Alia principalis, quæ coniungit principale prædicatum cum ſubiecto. Alia minus principalis, quæ etiam dicitur copula implicationis: quatenus implicatur ex parte alicuius extremi, & in illo continetur. Sicut in hac, *homo, qui currit, diſputat*, ly *currit* eſt copula implicationis, & ſe tenet ex parte ſubiecti. Alia verò eſt copula principalis, & hæc adhuc poteſt eſſe vel ſimplex, vt *homo eſt animal*: vel compoſita, vt in hac, *homo eſt, vel fuit albus*.

Propoſitio cathegorica alia eſt de tertio adiacente: quando, videlicet, prædicatum expræſsè ponitur diſtinctum à copula, vt in hac, *homo eſt iuſtus*. Propoſitio verò de ſecundo adiacente eſt illa, quæ ſimul habet rationem prædicati, vt hæc. *Petrus arguit*, quæ æquivalet alteri, *Petrus eſt arguens*, de propoſitione hypothetica ſtatim dicemus,

§. III.

De altera diuiſione.

RATIONE verò *qualitatis* dividitur propoſitio in affirmativam, & negativam. Prima eſt, in qua copula non afficitur negatione, vt hæc *homo eſt albus*. Secunda eſt, in qua copula negatione afficitur, vt hæc, *homo non eſt albus*. Si tamen negationi afficienti copulam, altera negatio præponatur, propoſitio erit affirmativa. Quia negatio eſt malignantis naturæ, & quidquid poſt ſe invenit, deſtruit. Vndè prima negatio deſtruit ſecundam, & reddit propoſitionem affirmativam. Et propterea dicitur, quod paritas negationum affirmat.

Vt autem propoſitio negativa ſit, debet eſſe negata copula principalis, vt in hac, *Petrus, qui currit, non diſputat*. Si tamen ſola copula implicationis negatur, propoſitio affirmativa erit, ſicut hæc, Petrus, qui non currit, diſputat.

Inſuper etiam debet negatio præcedere co-

copulam formaliter, vel virtualiter, & in hac, *mori deſiderat nullus*: in qua negatio virtualiter præcedit. Nam æquivalet alteri, *nullus deſiderat mori*. Iſtæ verò propoſitiones, *neſcio grammaticam. Nego conſequentiam*, & aliæ ſimiles, ſunt affirmativæ. Quia æquivalent his, *ſum negans conſequentiam, & neſciens grammaticam.*

§. IV.

De alijs diviſionibus.

RATIONE *quantitatis* dividitur propoſitio in vniverſalem, particularem, indeffinitam, & ſingularem. Vniverſalis eſt, cuius ſubiectum eſt terminus communis ſigno vniverſali affectus, vt *omnis homo currit*, *nullus homo currit*. Particularis verò, cuius ſubiectum eſt terminus communis affectus ſigno particulari, vt *aliquis homo currit*. In diffinita verò: cuius ſubiectum eſt terminus communis nullo ſigno affectus, vt *homo currit*. Singularis ea eſt, cuius ſubiectum eſt terminus ſingularis, vt *Pe-*

trus currit: quæ quidem diviſio accidentalis eſt. Quia traditur per quantitatem accidentalem propoſitioni.

Sumitur tamen quantitas propoſitionis, à quantitate ſubiecti, quod quidem eſt magis, vel minus extenſum, ſecundùm ſigna, quibus afficitur. Eo quod aliqua ſigna ſunt vniverſalia vt *omnis nullus*, & faciunt ſubiectum accipi pro omni ſignificato. Alia verò particularia ſunt, & faciunt ſubiectum accipi pro aliquo tantùm ſicut *quidam*, & *aliquis*.

Tandem propoſitio dividitur, ratione *materiæ*, in propoſitionem neceſſariam, contingentem, & impoſsibilem, iuxta diverſam habitudinem, quam prædicatum poteſt dicere ad ſubiectum. Quæ quidem habitudo triplex eſt: naturalis videlicet, quando prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti, vel illius paſsio, ſicut iſtæ, *homo eſt animal* : *homo eſt riſibilis*. Contingens eſt, quando prædicatum poteſt adeſſe, vel abeſſe ſine ſubiecti corruptione, vt in hac, *homo eſt albus*. Habitudo remota, vel repugnans eſt quando prædicatum naturaliter ſubiecto repugnat, aut eſſentialiter. Vndè propoſitio affir-

affirmativa in materia naturali eſt neceſſaria: negativa autem impoſsibilis. Propoſitio verò affimativa in materia repugnanti eſt impoſsibilis: negativa autem, ſemper neceſſaria eſt.

Poterat etiam dividi ratione materiæ in identicam, & formalem. Identica eſt, in qua idem de ſe ipſo prædicatur, vt *homo eſt homo*, *enſis eſt gladius*. Formalis verò eſt, in qua prædicatum aliquomodo diſtinguitur à ſubiecto, vt hæc, *homo eſt animal*. Alia tamen eſt directa, in qua forma dicitur de ſubiecto, vel ſuperius de inferiori, vt in his, *homo eſt vivens*: vel *homo eſt niger*. Indirecta verò eſt, in qua ſubiectum dicitur de forma, vt *album eſt homo*: vel inferius de ſuperiori, ſicut, *animal eſt Leo*. Præoculis tamen habendum eſt, quod in materia naturali propoſitio indeffinita æquivalet vniverſali: & ab vna ad alteram eſt bona conſequentia, vt in his, *homo eſt animal*. Ergo *omnis homo eſt animal*.

CAPITVLVM III.

§. I.

De Propoſitione Hypothetica.

DE Propoſitione *Hypotetica* nobis reſtabat agendum: & eſt illa, *quæ conſtat duabus cathegoricis tanquam ex partibus principalibus ſui*, ſicut, *Petrus currit, & Paulus loquitur*: in quo differt à cathegorica. Quia cathegorica immediatè, & principaliter componitur ex terminis. Hypothetica verò remotè conſtat ex terminis; ſed pro materia proxima requirit propoſitiones, quæ tamen debent eſſe coniunctæ per aliquam particulam, & eſſe duę vel tres. Nec debent eſſe neceſſariò propoſitiones cathegoricæ; ſed ſufficit eſſe complexa propoſitionalia, vel duas propoſitiones hypotheticas: ſicut hęc hypothetica, *ſi Papa iubet, fieri debet, & ſi Turca iuſſerit, obediendum non eſt.*

Dividitur tamen propoſitio *hypothetica* in con-

conditionalem, rationalem, & cauſalem: de quibus §. de argumentatione dictum eſt. Et vlterius dividitur in copulativam, & disiunctivam. Propoſitio copulativa eſt, cuius partes copulantur per particulam *&*, vt *Petrus currit, & Paulus loquitur.* Disiunctiva verò eſt, cuius partes copulantur per particulam *vel*, vt *Petrus currit, vel Paulus loquitur*, & aliæ ſimiles, inquibus licet particula *vel* dividat ſenſum propoſitionis denotando eſſe vnum, vel alterum; ipſas tamen propoſitiones coniungit per modum partium ad faciendum vnum tantum. Propoſitiones autem temporales, vt *Petrus currit, quando Paulus ſedet*, ad propoſitionem copulativam reducuntur, & de omnibus idem dicendum.

Inveniuntur tamen in propoſitionibus prædictis aliqui loci arguendi. Primus eſt à copulativa ad partem: nam copulativa requirit vtramquè partem eſſe veram, & ita ab illa ad quamcumquè partem eſt bona conſequentia: non tamen bona eſt à quacumque parte ad illam. Quia etiamſi vna pars ſit vera, poteſt altera eſſe falſa. Et ideò à parte vera non erit

bona conſequentia ad totam copulativam, quæ non ſolùm requirit vnam partem, ſed etiam vtramque veram.

Et ſi dicas: Hæc eſt mala conſequentia, *album eſt, & fuit nigrum*; Ergo *album eſt nigrum*. Nam in ea datur antecedens verum, & conſequens falſum, caſu quo Petrus heri, & hodie exiſtat niger, & antea fuerit albus. Et tamen arguitur à copulativa ad partem. Ergo locus arguendi bonus non eſt.

Reſp. neg. min. Quia non arguitur à copulativa ad partem, ſed ſolùm à copulato ad partem, & propterea bona conſequentia non eſt; ſicut hæc non valet, *Petrus, & Paulus portant vnum lapidem*. Ergo *Petrus portat vnum lapidem*.

Secundus locus arguendi eſt à parte disiunctivæ ad totam disiunctivam. Quia ſi vna pars eſt vera, tota disiunctiva vera eſt. Et ideò valet benè ab vna parte vera ad totam disiunctivam, vt in hac, *Petrus currit*. Ergo *currit, vel loquitur*: à tota tamen disiunctiva ad vnam partem non valet. Quia, vt disiunctiva vera ſit, non requiritur eſſe veram partem, quæ pro con-

clu-

cluſione infertur, ſed ſufficit alteram eſſe veram,

Tertius locus etiam indiſiunctivis eſt cum deſtructionevnius partis ad poſitionem alteriùs, ſicut benè valet, *Petrus currit, vel diſputat. Sed non currit. Ergo diſputat.* Quia disiunctiva requirit vnam partem veram. Et conſequenter ſi vna vera non eſt, altera debet eſſe vera.

Et ſi dicas: Hæc eſt mala conſequentia, *datur Perſona Divina, vel datur eſſentia Divina. Sed non datur eſſentia Divina. Ergo datur Perſona Divina.* Et tamen arguitur à disiunctiva cum deſtructione vnius partis. Ergo locus ille arguendi non rectè traditur.

Reſp. tamen, regulam intelligendam eſſe, quando partes neceſſariam connexionem non habent: quia ſi connexionem neceſſariam habent, vna deſtructa etiam deſtruitur alia, vt in his, *homo eſt rationalis vel eſt riſibilis. Sed non eſt rationalis. Ergo eſt riſibilis.* Quia rationalitate deſtructa, in ea deſtruitur reſibilitas.

§.II.

Digitized by Google

§. II.

De Diviſionibus Hypotheticæ.

PROPOSITIO hypothetica, ratione *qualitatis* dividitur in affirmativam, & negativam. Sed quia propoſitio rationalis non propriè dicitur affirmativa, vel negativa: eo quod propriè eſt conſequentia, vel diſcurſus, ea relicta de cæteris diſputamus.

Propoſitio negativa conditionalis, & cauſalis ea eſt, in qua copula *ſi*, vel *quia*, afficitur negatione; etiamſi copula verbalis negatione non afficiatur: vndè iſtæ ſunt affirmativæ, *ſi homo currit movetur. Si non currit, non movetur.* Quia in nulla negatur particula *ſi*. Et ſimiliter ſunt affirmativæ iſtæ, *quia homo eſt rationalis, eſt riſibilis. Quia homo non eſt rationalis, non eſt riſibilis,* Eo quod copula *quia* in nulla earum negatur. Sed quæ ſequuntur negativæ ſunt, *non ſi homo diſputat, loquitur. Non quia eſt rationalis, eſt riſibilis.* Eo quod copula in vtraque negatur. Et propterea prima facit hunc ſenſum,

ſum, non benè infertur quod loquatur, ex quo diſputet: & altera facit hunc ſenſum, rationalitas non eſt cauſa riſibilitatis.

In copulativis verò, & disiunctivis affirmatio, & negatio deſumuntur ab affirmatione, & negatione cathegoricarum illas componentium. Vndè ſi vtraque cathegorica affirmativa eſt, tota hypothetica affirmativa erit: ſi verò vtraque cathegorica negativa eſt, tota hypothetica erit negativa. Si tamen vna cathegorica affirmativa eſt, & altera negativa, propoſitio hypothetica erit formaliter mixtæ qualitatis; virtualiter tamen erit affirmativa, ſi propoſitio hypothetica copulativa eſt: & ſi fuerit disiunctiva, erit virtualitèr negativa.

Ratio autem ea eſt. Quia propoſitio, quç requirit ſuppoſitionem extremorum, eſt affirmativa: & ea quæ talem ſuppoſitionem non requirit, eſt negativa. Sed propoſitio copulativa petit ad ſui veritatem ſuppoſitionem extremorum, & id disiunctiva non petit. Ergo copulativa eſt affirmativa: & disiunctiva, negativa eſt. Prob. min de copulativa. Quia, vt vera ſit, debet eſſe vera pars affirmativa. Eo quod ad

veri-

veritatem copulativæ, veritas vtriuſque partis requiritur. Sed, vt pars affirmativa vera ſit, petit ſuppoſitionem extremorum. Ergo propoſitio copulatiua extremorum ſuppoſitionem requirit.

De disiunctiva verò etiam probat. minor. Quia, vt vera ſit, ſufficit eſſe veram partem negativam. Sed, vt hæc vera ſit, non requiritur extremorum ſuppoſitio. Siquidem propoſitio negativa de ſubiecto non ſupponente vera eſt. Ergo propoſitio disiunctiva non requirit extremorum ſuppoſitionem.

Etſi dicas: Propoſitio copulativa, cuius vna pars eſt falſa, tota redditur falſa. Ergo illa, cuius vna pars eſt negativa, tota redditur negativa.

Negatur conſeq. Quia propoſitio copulativa enuntiat veritatem vtriuſque partis ſimul: & ita ſi defficit veritas vnius partis, tota propoſitio redditur falſa. Sed quamvis vna pars ſit negativa, ſi tamen altera affirmativa eſt, iam pro parte affirmativa requirit ſuppoſitionem extremorum. Et propterea tota copulativa affirmativa erit.

Cir-

Circa quantitatem verò hypotheticæ,imprimis certum debet eſſe conditionalem,rationalem,& cauſalem,non eſſe quantas: & ita in earum contradictorijs nulla quantitas mutatur, vt in his,*ſi Sol lucet,dies eſt*, *Non ſi Sol lucet,dies eſt*. Vndè in his propoſitionibus ſubiecta ſupponunt immobiliter, & per modum termini ſingularis.

In copulativis tamen,& diſiunctivis duplex quantitas reperitur:vna cathegoricarum componentium, & altera copulæ adverbialis. Et vtraque quantitas debet in contradictorijs mutari, vt in his, *omnis homo diſputat*, *&* *omnis homo currit. Aliquis homo non diſputat*, *vel aliquis homo non currit*. Si tamen copulativa, vel diſiunctiva componitur ex terminis ſingularibus, ſolùm vniverſalitas de ly *&*, in particularitatem de ly *vel* aut ècontra,mutanda eſt.

CA-

CAPITVLVM IV.

DE SVPPOSITIONE.

§. I.

Diffinitio Suppoſitionis explicatur.

IN propoſitione quidem aliquæ proprietates conſequuntur ad totam propoſitionem, ſicut oppoſitio, æquipollentia, & converſio: aliæ verò conſequuntur ad terminos intra ipſam propoſitionem, ſicut ſuppoſitio, ampliatio, & reſtrictio, appellatio, & alienatio. De quibus priùs agendum eſt.

Suppoſitio eſt, *acceptio termini pro aliquo de quo verificatur. Acceptio* ponitur loco generis. Quia in ea voces ſupponentes, & non ſupponentes conveniunt. Nam vox extra propoſitionem accipitur pro ſuo ſignificato; pro quo tamen extra propoſitionem non ſupponit. *Acceptio* autem eſt duplex, vna activa, ipſe, videlicèt, actus, quo intellectus accipit terminum pro

pro ſuo ſignificato, aut pro ſe ipſo: & altera paſſiva, qua terminus dicitur acceptus, & de qua in præſenti diſputamus.

Alia verò particula, *de quo verificatur*, ponitur loco differentiæ: & denotat non ſufficere ad ſupponendum quod terminus accipiatur pro aliquo; ſed requiri, quod de illo verificetur, vel de illo verè affirmetur: quod vox ſignificativa extra propoſitionem non habet.

Obſervandum tamen eſt, aliud eſſe verificari propoſitionem, & aliud terminum verificari. Quia verificari propoſitionem eſt illam conformari ſuo obiecto, & enuntiare rem ſicut eſt: ſed terminum verificari, eſt rem ſignificatam per terminum exiſtere iuxta exigentiam copulæ, vel in tempore ſignificato per copulam: ita vt de re ſignificata per terminum, verè copula affirmetur, vt ſi dicas, *Petrus currit*. Verificatio termini fit ad ſenſum, vel intellectum, dicendo, hoc eſt Petrus. Et in hac, *Adam fuit doctus*, verificatio fit per ordinem ad intellectum, dicendo, hoc fuit Adam.

Ex quo habes verificationem propoſitionis poſſe dari, quamvis terminus non ſupponat,

nat, ſicut in hac, Anti-Chriſtus *non eſt bonus*, verificatur propoſitio per non exiſtentiam Anti-Chriſti de præſenti: & verificationem termini poſſe dari, quin vera ſit propoſitio, vt in hac. *Petrus currit*: ſi modo Petrus exiſtat; & non currat, verificatur terminus, & propoſitio vera non eſt. Habes tandem propoſitionem affirmativam exigere quod extrema ſupponant pro eodem: negativam verò id non requirere, imò nec quód extrema ſupponant.

Contra diffinitionem tamen arguitur. Quod in hac propoſitione, *chimera eſt repugnans*, ſubiectum verè ſupponit: cum ſit propoſitio affirmativa, & vera, quæ requirit ſuppoſitionem extremorum. Et tamen chymera non accipitur pro aliquo: cum chymera nihil ſit. Ergo malè diffinitur ſuppoſitio, quod ſit acceptio.

Reſpond. diſt. min. Pro aliquo verò ente: conc. min. Pro aliquo non verò ente; verè tamen ſignificato: nego min. Quia, vt terminus ſupponat, non requiritur, quod accipiatur pro aliquo verò ente; ſed ſatis eſt, quod accipiatur pro aliquo ente repugnanti, aut impoſsibili, verè ſignificato per terminum, & concepto admodum entis.

5.

§. II.

De diviſione prima ſuppoſitionis.

PRIMO ſuppoſitio dividitur in materialem, & formalem. Suppoſitio *formalis* eſt, *acceptio termini pro ſuo ſignificato.* Suppoſitio verò materialis eſt, *acceptio termini pro ſe ipſo*, vt in hac, *Blitiri ex vox.* Terminum autem materialiter ſupponere, colligitur ex eo, quod applicantur illi ſigna materialitatis, vt cum dicitur, hæc vox, hæc dictio, &c. vel quando vox nihil ſignificat, vt Blitiri: aut quando prædicatum ſignificat vocem, & non rem, vt in his, *homo eſt nomen. Blitiri eſt triſyllabum.*

Suppoſitio formalis dividitur in propriam, & impropriam. Suppoſitio propria eſt, *acceptio termini, pro eo quod propriè ſignificat, vel ex primariâ impoſitione.* Sicut Leo propriè ſupponit pro verò Leone, quem ex primaria impoſitione ſignificat.

Suppoſitio impropria eſt, *acceptio termini pro eo, quod impropriè ſignificat*: pro eo videlicet,

cèt, quod ſolùm ſignificat ſecundario propter aliquam ſimilitudinem, quam habet cum primario ſignificato per vocem: ſicut vox Leo impropriè, & ſecundariò ſignificat Chriſtum, propter ſimilitudinem, quam habet cum verò Leone.

Vt tamen cognoſcatur, quando vox propriè accipitur, vel impropriè, attendendum eſt ad ea, quę pręcedunt, & ſequuntur. Nam in hac, *Leo rugit*, accipitur pro verò Leone, cui ſolùm convenit prædicatum: & in hac, *vicit Leo de Tribu Iudà*, accipitur impropriè Leo pro Chriſto. Quia illud ſuperadditum *de Tribu Iudà* ſoli Chriſto convenire poteſt.

Dividitur vlterius ſuppoſitio formalis in *Simplicem*, & *Perſonalem*. Suppoſitio ſimplex eſt, *acceptio termini pro eo, quod primò, & per ſe, & immediatè ſignificat.* Pro cuius intelligentia notandum eſt terminum communem duplex habere ſignificatum: primarium videlicèt, & immediatum, quod eſt natura communis ab individuis abſtracta: & aliud ſecundarium, & mediatum, videlicèt, individua, in quibus natura communis reperitur. Et quando

do terminus accipitur pro ſignificato primariò, ſupponit ſimpliciter, ſicut ly *homo* in hac, *homo eſt ſpecies*. Quia accipitur homo pro natura humana, vt concepta conceptu communi, & abſtracta ab indiuiduis: appellaturque ſuppoſito ſimplex. Quia terminus accipitur præciſsè pro tali ſignificato, ſub quo non licèt deſcendere ad indiuidua. Et ita non valet, *homo eſt ſpecies*. Ergo iſte, vel ille homo eſt ſpecies.

Terminus etiam ſingularis duplex habet ſignificatum. Aliud primarium, videlicèt naturam communem indiuidui. Et quando pro illo accipitur, ſupponit ſimplicitèr, vt in hac, *Petrus eſt indiuiduum*. Aliud habet ſignificatum ſecundarium, ipſum videlicèt ſingulare, non vt eſt in intellectu; ſed vt exiſtit in re. Et quando pro illo ſumitur, perſonaliter ſupponit, vt in hac, *Petrus currit*. Vndè

Suppoſitio Perſonalis eſt, *acceptio termini pro indiuiduis, & Perſonis*, vt in hac, *homo currit*: & in hac, *homo eſt animal*, in qua ly *homo*, etiam accipitur pro perſonis, & ſub illo fieri

cèt, quod ſolùm ſignificat ſecundario propter aliquam ſimilitudinem, quam habet cum primario ſignificato per vocem: ſicut vox Leo impropriè, & ſecundariò ſignificat Chriſtum, propter ſimilitudinem, quam habet cum verò Leone.

Vt tamen cognoſcatur, quando vox propriè accipitur, vel impropriè, attendendum eſt ad ea, quę pręcedunt, & ſequuntur. Nam in hac, *Leo rugit*, accipitur pro verò Leone, cui ſolùm convenit prædicatum: & in hac, *vicit Leo de Tribu Iudà*, accipitur impropriè Leo pro Chriſto. Quia illud ſuperadditum *de Tribu Iudà* ſoli Chriſto convenire poteſt.

Dividitur vlterius ſuppoſitio formalis in *Simplicem*, & *Perſonalem*. Suppoſitio ſimplex eſt, *acceptio termini pro eo, quod primò, & per ſe, & immediatè ſignificat*. Pro cuius intelligentia notandum eſt terminum communem duplex habere ſignificatum: primarium videlicèt, & immediatum, quod eſt natura communis ab individuis abſtracta: & aliud ſecundarium, & mediatum, videlicèt, individua, in quibus natura communis reperitur. Et quando

Digitized by Google

do terminus accipitur pro ſignificato primariò, ſupponit ſimpliciter, ſicut ly *homo* in hac, *homo eſt ſpecies.* Quia accipitur homo pro natura humana, vt concepta conceptu communi, & abſtracta ab individuis: appellaturque ſuppoſito ſimplex. Quia terminus accipitur præciſsè pro tali ſignificato, ſub quo non licèt deſcendere ad individua. Et ita non valet, *homo eſt ſpecies.* Ergo iſte, vel ille homo eſt ſpecies.

Terminus etiam ſingularis duplex habet ſignificatum. Aliud primarium, videlicèt naturam communem individui. Et quando pro illo accipitur, ſupponit ſimplicitèr, vt in hac, *Petrus eſt individuum.* Aliud habet ſignificatum ſecundarium, ipſum videlicèt ſingulare, non vt eſt in intellectu; ſed vt exiſtit in re. Et quando pro illo ſumitur, perſonaliter ſupponit, vt in hac, *Petrus currit.* Vndè

Suppoſitio Perſonalis eſt, *acceptio termini pro individuis, & Perſonis*, vt in hac, *homo currit*: & in hac, *homo eſt animal*, in qua ly *homo*, etiam accipitur pro perſonis, & ſub illo fieri

cèt, quod ſolùm ſignificat ſecundario propter aliquam ſimilitudinem, quam habet cum primario ſignificato per vocem: ſicut vox Leo impropriè, & ſecundariò ſignificat Chriſtum, propter ſimilitudinem, quam habet cum verò Leone.

Vt tamen cognoſcatur, quando vox propriè accipitur, vel impropriè, attendendum eſt ad ea, quę pręcedunt, & ſequuntur. Nam in hac, *Leo rugit*, accipitur pro verò Leone, cui ſolùm convenit prædicatum: & in hac, *vicit Leo de Tribu Iudà*, accipitur impropriè Leo pro Chriſto. Quia illud ſuperadditum *de Tribu Iudà* ſoli Chriſto convenire poteſt.

Dividitur vlterius ſuppoſitio formalis in *Simplicem*, & *Perſonalem*. Suppoſitio ſimplex eſt, *acceptio termini pro eo, quod primò, & per ſe, & immediatè ſignificat*. Pro cuius intelligentia notandum eſt terminum communem duplex habere ſignificatum: primarium videlicèt, & immediatum, quod eſt natura communis ab individuis abſtracta: & aliud ſecundarium, & mediatum, videlicèt, individua, in quibus natura communis reperitur. Et quando

do terminus accipitur pro ſignificato primariò, ſupponit ſimpliciter, ſicut ly *homo* in hac, *homo eſt ſpecies*. Quia accipitur homo pro natura humana, vt concepta conceptu communi, & abſtracta ab individuis: appellaturque ſuppoſito ſimplex. Quia terminus accipitur præcisè pro tali ſignificato, ſub quo non licèt deſcendere ad individua. Et ita non valet, *homo eſt ſpecies*. Ergo iſte, vel ille homo eſt ſpecies.

Terminus etiam ſingularis duplex habet ſignificatum. Aliud primarium, videlicèt naturam communem individui. Et quando pro illo accipitur, ſupponit ſimplicitèr, vt in hac, *Petrus eſt individuum*. Aliud habet ſignificatum ſecundarium, ipſum videlicèt ſingulare, non vt eſt in intellectu; ſed vt exiſtit in re. Et quando pro illo ſumitur, perſonaliter ſupponit, vt in hac, *Petrus currit*. Vndè

Suppoſitio Perſonalis eſt, *acceptio termini pro individuis, & Perſonis*, vt in hac, *homo currit*: & in hac, *homo eſt animal*, in qua ly *homo*, etiam accipitur pro perſonis, & ſub illo fieri

cèt, quod ſolùm ſignificat ſecundario propter aliquam ſimilitudinem, quam habet cum primario ſignificato per vocem: ſicut vox Leo impropriè, & ſecundariò ſignificat Chriſtum, propter ſimilitudinem, quam habet cum verò Leone.

Vt tamen cognoſcatur, quando vox propriè accipitur, vel impropriè, attendendum eſt ad ea, quę pręcedunt, & ſequuntur. Nam in hac, *Leo rugit*, accipitur pro verò Leone, cui ſolùm convenit prædicatum: & in hac, *vicit Leo de Tribu Iudà*, accipitur impropriè Leo pro Chriſto. Quia illud ſuperadditum *de Tribu Iudà* ſoli Chriſto convenire poteſt.

Dividitur vlterius ſuppoſitio formalis in *Simplicem*, & *Perſonalem*. Suppoſitio ſimplex eſt, *acceptio termini pro eo, quod primò, & per ſe, & immediatè ſignificat*. Pro cuius intelligentia notandum eſt terminum communem duplex habere ſignificatum: primarium videlicèt, & immediatum, quod eſt natura communis ab individuis abſtracta: & aliud ſecundarium, & mediatum, videlicèt, individua, in quibus natura communis reperitur. Et quan-

Digitized by Google

do terminus accipitur pro ſignificato primariò, ſupponit ſimpliciter, ſicut ly *homo* in hac, *homo eſt ſpecies*. Quia accipitur homo pro natura humana, vt concepta conceptu communi, & abſtracta ab indiuiduis: appellaturque ſuppoſito ſimplex. Quia terminus accipitur præciſsè pro tali ſignificato, ſub quo non licèt deſcendere ad indiuidua. Et ita non valet, *homo eſt ſpecies*. Ergo iſte, vel ille homo eſt ſpecies.

Terminus etiam ſingularis duplex habet ſignificatum. Aliud primarium, videlicèt naturam communem indiuidui. Et quando pro illo accipitur, ſupponit ſimplicitèr, vt in hac, *Petrus eſt indiuiduum*. Aliud habet ſignificatum ſecundarium, ipſum videlicèt ſingulare, non vt eſt in intellectu; ſed vt exiſtit in re. Et quando pro illo ſumitur, perſonaliter ſupponit, vt in hac, *Petrus currit*. Vndè

Suppoſitio Perſonalis eſt, *acceptio termini pro indiuiduis, & Perſonis*, vt in hac, *homo currit*: & in hac, *homo eſt animal*, in qua ly *homo*, etiam accipitur pro perſonis, & ſub illo fieri

nat, ſicut in hac, Anti-Chriſtus *non eſt bonus*, verificatur propoſitio per non exiſtentiam Anti-Chriſti de præſenti: & verificationem termini poſſe dari, quin vera ſit propoſitio, vt in hac. *Petrus currit*: ſi modo Petrus exiſtat, & non currat, verificatur terminus, & propoſitio vera non eſt. Habes tandem propoſitionem affirmativam exigere quod extrema ſupponant pro eodem: negativam verò id non requirere, imò nec quòd extrema ſupponant.

Contra diffinitionem tamen arguitur. Quod in hac propoſitione, *chimera eſt repugnans*, ſubiectum verè ſupponit: cum ſit propoſitio affirmativa, & vera, quæ requirit ſuppoſitionem extremorum. Et tamen chymera non accipitur pro aliquo: cum chymera nihil ſit. Ergo malè diffinitur ſuppoſitio, quod ſit acceptio.

Reſpond. diſt. min. Pro aliquo verò ente: conc. min. Pro aliquo non verò ente; verè tamen ſignificato: nego min. Quia, vt terminus ſupponat, non requiritur, quod accipiatur pro aliquo verò ente; ſed ſatis eſt, quod accipiatur pro aliquo ente repugnanti, aut impoſsibili, verè ſignificato per terminum, & concepto admodum entis.

5.

§. II.

De diviſione prima ſuppoſitionis.

PRIMO ſuppoſitio dividitur in materialem, & formalem. Suppoſitio *formalis* eſt, *acceptio termini pro ſuo ſignificato.* Suppoſitio verò materialis eſt, *acceptio termini pro ſe ipſo*, vt in hac, *Blitiri ex vox.* Terminum autem materialiter ſupponere, colligitur ex eo, quod applicantur illi ſigna materialitatis, vt cum dicitur, hæc vox, hæc dictio, &c. vel quando vox nihil ſignificat, vt Blitiri: aut quando prædicatum ſignificat vocem, & non rem, vt in his, *homo eſt nomen. Blitiri eſt triſyllabum.*

Suppoſitio formalis dividitur in propriam, & impropriam. Suppoſitio propria eſt, *acceptio termini, pro eo quod propriè ſignificat, vel ex primaria impoſitione.* Sicut Leo propriè ſupponit pro verò Leone, quem ex primaria impoſitione ſignificat.

Suppoſitio impropria eſt, *acceptio termini pro eo, quod impropriè ſignificat*: pro eo videli-

cèt, quod ſolùm ſignificat ſecundario propter aliquam ſimilitudinem, quam habet cum primario ſignificato per vocem: ſicut vox Leo impropriè, & ſecundariò ſignificat Chriſtum, propter ſimilitudinem, quam habet cum verò Leone.

Vt tamen cognoſcatur, quando vox propriè accipitur, vel impropriè, attendendum eſt ad ea, quę pręcedunt, & ſequuntur. Nam in hac, *Leo rugit*, accipitur pro verò Leone, cui ſolùm convenit prædicatum: & in hac, *vicit Leo de Tribu Iudà*, accipitur impropriè Leo pro Chriſto. Quia illud ſuperadditum *de Tribu Iudà* ſoli Chriſto convenire poteſt.

Dividitur vlterius ſuppoſitio formalis in *Simplicem*, & *Perſonalem*. Suppoſitio ſimplex eſt, *acceptio termini pro eo, quod primò, & per ſe, & immediatè ſignificat*. Pro cuius intelligentia notandum eſt terminum communem duplex habere ſignificatum: primarium videlicèt, & immediatum, quod eſt natura communis ab individuis abſtracta: & aliud ſecundarium, & mediatum, videlicèt, individua, in quibus natura communis reperitur. Et quando

do terminus accipitur pro ſignificato primariò, ſupponit ſimpliciter, ſicut ly *homo* in hac, *homo eſt ſpecies*. Quia accipitur homo pro natura humana, vt concepta conceptu communi, & abſtracta ab individuis: appellaturque ſuppoſito ſimplex. Quia terminus accipitur præciſsè pro tali ſignificato, ſub quo non licèt deſcendere ad individua. Et ita non valet, *homo eſt ſpecies*. Ergo iſte, vel ille homo eſt ſpecies.

Terminus etiam ſingularis duplex habet ſignificatum. Aliud primarium, videlicèt naturam communem individui. Et quando pro illo accipitur, ſupponit ſimplicitèr, vt in hac, *Petrus eſt individuum*. Aliud habet ſignificatum ſecundarium, ipſum videlicèt ſingulare, non vt eſt in intellectu; ſed vt exiſtit in re. Et quando pro illo ſumitur, perſonaliter ſupponit, vt in hac, *Petrus currit*. Vndè

Suppoſitio Perſonalis eſt, *acceptio termini pro individuis, & Perſonis*, vt in hac, *homo currit*: & in hac, *homo eſt animal*, in qua ly *homo*, etiam accipitur pro perſonis, & ſub illo fieri

poteſt deſcenſus ad individua, vt in his, hic *homo eſt animal*: & *ille homo eſt animal*.

Contra arguitur. In hac propoſitione, *homo eſt animal rationale*, homo ſupponit pro ſignificato primariò, videlicèt, pro natura humana. Et tamen non ſupponit ſimpliciter, aut immobiliter; ſed ſub illo poteſt fieri deſcenſus, dicendo: *Ergo hic homo eſt animal rationale*, *&* *ille*, *&* *ille*. Ergo diffinitio ſuppoſitionis ſimplicis bona non eſt.

Reſp. diſt. mai. Immediato ſimul, & mediato: conc. mai. Immediato tantum: neg. maior. Quia ibi non accipitur ſolum pro natura humana, ſed etiam pro individuis: & vt ſupponeret ſimpliciter, debebat ſolùm accipi pro ſignificato immediato.

Sed contra Quia *homo* accipitur ibi pro diffinito per diffinitionem hominis. Sed diffinitum per talem diffinitionem ſolùm eſt natura humana, quæ eſt ſignificatum primarium. Ergo ſolùm accipitur pro primariò ſignificato.

Reſpond. diſt. min. Diffinitum immediatum: conc. min. Mediatum: nego min. & conſeq.

Quia

Quia per diffinitionem hominis diffinitur immediatè natura, & mediatè individua: & pro vtroque diffinito accipitur ly *homo*, in propoſitione prædicta.

Suppoſitio etiam Perſonalis dividitur, in *Naturalem*, & *Accidentalem*. Naturalis eſt, *acceptio termini pro omnibus, pro quibus natus eſt accipi*, vt in hac, *homo eſt animal*, ly *homo* ſupponit naturaliter. Quia accipitur pro omnibus hominibus, ad quos extenditur illius ſignificatio.

Suppoſitio verò Accidentalis eſt, *acceptio termini pro his tantum; de quibus verificatur iuxta copulæ exigentiam*, vt in hac, *homo currit*, accipitur tantùm ly *homo* pro homine exiſtente in tempore præſenti. Et ideò ſupponit accidentaliter.

Terminus autem naturaliter ſupponit, quando non reſtringitur ab aliquo, vt accipiatur determinatè pro aliquo ex proprijs ſignificatis; ſed potius accipitur pro omnibus, pro quibus aptus eſt accipi. Tunc autem non reſtringitur, quando prædicatum eſt de intrinſeca ratione ſubiecti, vel illius propria

paſsio,vt aliqui volunt. Quando verò prædicatum non eſt de eſſentia ſubiecti, vel illius propria paſsio,vt in hac, *homo eſt albus* reſtringitur ſubiectum,vt ſolùm pro homine præſenti accipiatur.

Sed inſtabis. Prædicta diffinitio eſt eadem cum diffinitione ſuppoſitionis,vt ſic.Ergo convenit omni ſuppoſitioni, aut alijs à diffinito.Et conſequenter bona non eſt. Prob. ant. Diffinitio ſuppoſitionis,vt ſic eſt, *acceptio termini pro aliquo, de quo verificatur iuxta exigentiam copulæ.* Sed hæc eadem eſt diffinitio ſuppoſitionis accidentalis. Ergò vtraque diffinitio eadem eſt.

Reſp.neg.ant.& ad probat.diſt.maior. De quo verificatur exiſtentia abſtrahente à ſubiectiva,& obiectiva: conc.mai. Exiſtentia ſubiectiva determinatè : neg. mai. min. & conſeq. Nam in diffinitione ſuppoſitionis vt ſic, ly *verificatur iuxta exigentiam copulæ*, intelligitur de exiſtentia abſtrahente, ideſt quod res ſignificata per terminum debet exiſtere ſubiectivè, vel obiectivè, aut in intellectu : vt cum dicitur, *homo eſt animal*, ſubiectum illius non exi-

exiſtit ab æterno niſi tantum obiectivè. Et tamen propoſitio ab æterno vera eſt. Sed ad eſſentiam ſuppoſitionis accidentalis requiritur rem ſignificatam per terminum exiſtere ſubiectivè iuxta differentiam temporis importati per copulam. Quia prædicata accidentalia non conveniunt eſſentialiter, & pro omni differentia temporis, vel poſſunt non convenire.

§. III.

De vltima diviſione ſuppoſitionis.

PER ordinem ad ſigna, quibus terminus afficitur, dividitur vltimò ſuppoſitio. Signa autem, alia ſunt vniverſalia affirmativa, & negativa, vt *omnis, quilibet, nemo, nullus.* Alia particularia, vt *aliquis, quidam.* Alia media vt ly *omne, aliquod, alter, neuter, & vterque*, quando in completè accipiuntur. Poſſunt namque ſigna prædicta ſumi completè, & incompletè. Accipiantur quidem completè, quando purè vniverſalitèr, vel purè particulariter accipiuntur iuxta ſignificationem ipſorum. Accipiuntur

verò incompletè , quandò partem vniuerſaliter,& partem particulariter ſumuntur,vt in hac propoſitione, *omne animal fuit in Arca Noè*, accipitur completè,dùm facit hunc ſenſum, cuiuſcumque ſpeciei animalis , omne animal fuit in Arca Noè. Incompletè verò ſumitur, quando facit hunc ſenſum , cuiuſcumque ſpeciei animalis,aliquod animal fuit in Arca Noè. Ly *aliquod* etiam completè conſideratur in hac propoſitione , *aliquod animal fuit in Arca Noè* , dum facit hunc ſenſum, alicuius ſpeciei animalis,aliquod animal fuit in Arca Noè. Incompletè autem,ſi faciat hunc ſenſum,alicuius ſpeciei animalis , omne animal fuit in Arca Noè.

Ly *vterque* pariter accipitur completè in ſequenti propoſitione , *vterque homo currit* , ſi ſenſus ſit,cuiuslibet binarij quilibet homo currit. Incompletè verò, ſi ſenſus fiat,cuiuslibet binarij aliquis homo currit. Et ly *alter* accipitur completè in hac propoſitione , *alter homo currit*, ſi ſenſus fiat,alicuius binarij aliquis homo currit Et incompletè ſumitur , ſi fiat ſenſus: alicuius binarij , quilibet homo currit.

Et

Et idem de cæteris proportionabiliter diſcurrendum eſt.

Ea ſequuntur ſigna, quæ dicuntur ſpecialis confuſionis, ſicut *tantùm*, *requiritur*, *promitto*, *bis*, quæ propterea ſpecialis confuſionis dicuntur; quia faciunt terminum confuſè tantùm ſupponere.

His prælibatis dividitur vltimo ſuppoſitio perſonalis in Communem, & Singularem. Suppoſitio communis eſt, *acceptio termini communis*. Vt in hac, *homo currit*. Suppoſitio ſingularis eſt, *acceptio termini ſingularis, vel acceptio termini communis affecti pro nomine demonſtrativo*, ſicut *Petrus currit*, vel *hic homo currit*.

Communis ſuppoſitio ſubdividitur in determinatam, & confuſam. Determinata eſt, *acceptio termini communis nullo ſigno affecti, vel ſigno particulari*. Sicut in hac, *homo eſt doctus* prædicatum, & ſubiectum ſupponunt determinatè. Confuſa eſt, *acceptio termini communis ſigno vniverſali affecti, aut ſigno ſpecialis confuſionis*, vt in his, *omnis homo eſt animal*, *ad equitandum requiritur equus*: vel promitto tibi librum.

Digitized by Google

Hæc autem duplex eſt,altera diſtributiva, & altera confuſa tantùm. Diſtributiva eſt,*acceptio termini communis affecti immediatè ſigno vniverſali affirmativo, vel ſigno vniverſali negativo mediatè, vel immediatè*, ſicut ſubiectum huius, *omnis homo eſt animal*:vel ſubiectum, & prædicatum iſtius,*nullus homo eſt lapis.*

Confuſa tantùm eſt,*acceptio termini communis affecti mediatè ſigno vniverſali affirmativo, vel aliquo ſigno ſpecialis concluſionis*, vt ly *animal* in hac,*omnis homo eſt animal*:& ly *oculus* in iſta,*ad dividendum requiritur oculus.*

Rurſus confuſa tantùm,alia eſt copulata, & alia desiuncta. Copulata eſt, *acceptio termini communis: ſigno vniverſali collectivo affecti*, vt ſubiectum in hac, *omnes Apoſtoli Dei ſunt duodecim.* Disiuncta eſt,*acceptio termini communis affecti ſigno disiunctionis.* Vt in hac,*ad equitandum requiritur equus.* In qua prædicatum cuicumque equo disiunctivè convenit.

✻⁎✻

§. VI.

§. VLTIMVS.

De regulis ſuppoſitionis.

REGVLAS etiam oportet pro ſuppoſitione aſsignare. Et prima earum eſt, *quod terminus communis, nullo ſigno, vel ſigno particulari affectus* ſupponit determinatè, vt ſubiectum, & prædicatum in his: *homo eſt albus. Aliquis homo eſt albus.* Supponere verò determinatè eſt accipi pro ſingulis disiunctivè: ideſt, quod loco termini ſupponentis determinatè, ponantur ſingularia disiunctivè, ſicut hæc, *aliquis homo eſt albus*, æquivalet huic, *hic homo eſt albus, vel ille, vel ille*: & etiam alteri: *aliquis homo eſt hoc albus, vel aliquis homo eſt hoc album.* Et quia in ſubiecto determinato verificatur, ſuppoſitio determinata dicitur.

Secunda regula eſt, *quod terminus communis affectus immediatè ſigno vniverſali affirmativo, vel ſigno vniverſali negativo mediatè, vel immediatè ſupponit diſtributivè*, vt ſubiectum in

in hac, *omnis homo eſt albus*: & ſubiectum, & prædicatum in iſta, *nullus homo eſt albus*.

Tertia regula, *terminus communis mediatè affectus ſigno vniverſali affirmativo, vel affectus immediatè ſigno ſpecialis confuſionis, ſupponit confuſè diſiunctim*, vt. prædicatum in iſta, *omnis homo eſt albus*, & ly *equus* in iſta, *ad equitandum requiritur equus*. Terminum verò ita ſupponere eſt accipi pro omnibus vagè: ita quod propoſitio ſolùm verificetur in hoc, vel in illo; non tamen in aliquo eorum determinatè. Vndè termino ſic ſupponenti debetur aſcenſus, vel deſcenſus diſiunctus, vt *ad equitandum requiritur equus*. Ergo hic, vel ille equus requiritur ad equitandum.

Quarta regula eſt, *quod terminus communis affectus ſigno vniverſali collectivè, ſupponit collectivè, vel copulatim*, ideſt, prædicatum non convenit omnibus diviſivè, ſed omnibus copulatim acceptis. Vt in hac, *omnes Apoſtoli Dei ſunt duodecim*, prædicatum convenit omnibus collectivè, & ſimul enumeratis, vt ſi dicas: *Iſte, & ille, & ille, numerando omnes, ſunt duodecim.*

Quinta regula eſt, *quod terminus communis,*

nis, duabus negationibus, aut vna negatione, & *alio ſigno vniverſali affirmativo affectus, ſi dempta prima negatione manet diſtributus in ordine ad terminum ſupponentem determinatè, cum illa ſupponit confusè. Si autem dempta prima negatione, manet diſtributus in ordine ad terminum ſupponentem confusè, cum illa ſupponit determinatè, ſicut prædicatum huius, nullus homo non eſt albus*:& ſubiectum huius,*non omnis homo eſt animal.*

1. Verùm,quia regula prædicta ſub his terminis, nec facile percipitur, nec facile in memoria conſervatur, vt clarè cognoſcant dialectici ſuppoſitionem terminorum,ſivè vna,ſivè plures negationes apponantur, præ oculis habere debent,in omni propoſitione ſupponere terminos eodem modo,quo ſupponunt in altera,cui ęquivalet. Æquivalentia verò cõſideranda eſt iuxta regulam,*præ,contra, dic, poſt, contra, præ,poſtquè,ſub alter.* Vndè ſi negatio præponitur,æquivalet propoſitio ſuæ contradictoriæ:& eodem modo termini in vtraquè ſupponunt. Si negatio poſtponatur, æquivalet ſuæ contrariæ. Si ante, & poſtponatur, æquivalet ſubalter-

ternatæ. Ex quibus habes quod in hac propoſitione, *non nullus homo eſt animal*, vtrumquè extremum ſupponit determinatè. Sicut in hac, cui æquivalet, *aliquis homo eſt animal*: & ſimiliter, in hac, *nullus homo non eſt albus*, ly *albus* ſupponit confusè. Quia in propoſitione, cui æquivalet, videlicet in hac, *omnis homo eſt albus*, ita ſupponit. Et in hac, *non omnis homo non eſt animal*, vtrumque ſupponit determinatè, ſicut in altera cui æquivalet, videlicet, *aliquis homo eſt animal*. Et ita invenies regulam ſupradictam eſſe facilem, & veram, & facilè conſervari.

Sexta, & vltima regula ſuppoſitionis eſt, quod *in complexis, quorum vna pars ſe habet vt determinans, & alia vt determinabilis, ſi accipiantur vnica acceptione, pars determinans non poteſt reſolvi, antequam reſolvatur pars determinabilis: ſi verò accipiantur pluribus acceptionibus, quælibet pars poteſt pro libito reſolvi*. Pars determinans eſt obliquus, pars determinabilis eſt caſus rectus: & accipitur complexum vnica acceptione, quando obliquus ſequitur rectum, vt *equus hominis*. Accipitur verò pluribus accep-

acceptionibus , quando rectum antecedit obliquus , vt *hominis equus.* Vnde in hac propoſitione , *equus cuiuslibet hominis eſt albus* , non poteſt reſolvit , ly *cuiuslibet hominis*,vel obliquus in ſuas ſingulares , antequam reſolvatur *equus*.

CAPITVLVM V.

DE RELATIVIS.

§. I.

Diffinitio relativi explicatur.

LOQVIMVR in præſenti pauca de relativo grammaticali , vt cognoſcatur eius reſolutio , & illius ſuppoſitio. Diffinitur autem communiter relativum , *rei ante latæ recordativum.* Et duplex eſt relativum. Aliud ſubſtantiæ , quod refert ſuum antecedens per modum ſubſtantiæ,vt *qui*,& *ille* , ſicut in hac propoſitione, *Petrus currit , & ille diſputat,*

tat, ly *ille* revocat in memoriam ſubſtantiam Petri, vel illius perſonam.

Aliud autem eſt relativum accidentis, quod refert ſuum antecedens per modum accidentis; ſicut *talis*, *qualis*, *tantus*, & *quantus*, vt in hac, *Petrus eſt albus, qualis eſt Franciſcus*: & in hac, *Petrus eſt tantus, quantus eſt Paulus*, ly *qualis*, & ly *quantus*, referunt accidentia antecedentis videlicet, quantitatem, & aliud accidens, in quo dicuntur quales.

Vtrumque relativum dividitur in relativum diverſitatis, quod accipitur pro alio diſtincto ab antecedenti, vt *Petrus arguit*, & *alius reſpondet*: & in relativum identitatis, quod accipitur pro eodem ac ſuum antecedens, vt *Petrus currit*, & *ille diſputat*, vel *Petrus eſt magnus*, & *tantus eſt Franciſcus*. Relativum inſuper identitatis, aliud eſt reciprocum, quod ſignificat regreſsionem ſupra ſuum antecedens, vt *mater diligit filium ſuum*, vel *Petrus diligit ſe*. Aliud verò non reciprocum, vt *qui*, *ille*, *alius*, & huiuſmodi alia.

Arguitur contra diffinitionem. Relativum diverſitatis accipitur pro alio diſtincto ab ante-

te-

Digitized by Google

tecedenti, vt in hac; *Petrus arguit, & alius reſpondet.* Ergo non eſt rei antelatæ recordativum. Et conſequenter diffinitio non omni convenit diffinitio.

Confirm. In hac propoſitione, *invenimus Meſsiam, quod interpretatur Salvator*, ly *quod* eſt relativum. Et tamen non eſt rei antelatæ recordativum. Siquidem res antelata eſt Meſsias: & relativum *quod* nequit referre Meſsiam. Ergo non omne relativum eſt rei antelatę recordativum.

Reſp. diſt. conſeq. Rei antelatæ in recto: conc. conſeq. In obliquo: neg. conſeq. Quia prædicta propoſitio facit hunc ſenſum, *Petrus arguit, & alius diſtinctus à Petro, reſpondet*, & ita refert Petrum in obliquo, quod ſufficit vt illi competat diffinitio.

Ad confirm. neg. min. Quia res antelata non eſt ipſe Meſsias ſignificatus, ſed nomen illius, quod ſolùm interpretatur: & ita relativum *quod* non refert Meſsiam ſignificatum, ſed illius nomen.

§. II.

Regula pro relativis.

PRO reſolutione relatıvi eſt prima regula, *quod propoſitio vniverſalis negativa, & eius contradictoria, de relativo qui poſſunt immediate reſolvi ratione relativi.* Sicut benè valet, *nullum animal, quod eſt riſibile eſt irrationale.* Ergo *uullum animal eſt irrationale, vel illud non eſt riſibile*: & eodem modo poſſunt reſolvi ſingularis, vel particularis affirmativa, ſicut, *Petrus, qui currit, diſputat*, reſolvitur ita, *Petrus diſputat, & ille currit*: & altera Petrus, qui non currit, diſputat, reſolvitur ita, *Petrus diſputat, & ille non currit.*

Propoſitio verò vniverſalis affirmativa, & particularis negativa [illegible] eius contradictoria, non poſſunt immediatè reſolvi ratione relativi; ſed prius reſolvuntur ratione ſubiecti, & poſtea ratione relativi: & propterea non valet, *omne animal, quod eſt rationale, eſt riſibile.* Ergo *omne animal eſt riſibile, &*

illud

Digitized by Google

illud eſt rationale: benè tamen valet, *hoc animal, quod eſt rationale, eſt riſibile, & hoc animal, quod eſt rationale, eſt riſibile.* Ergo *hoc animal eſt riſibile, & ipſum eſt rationale.*

Secunda regula pro reſtrictione relativi eſt, quod in propoſitionibus copulativis affirmativis, & in disiunctivis earum contradictorijs, relativum ſecundæ cathegoricæ, reſtrictè refert ſuum antecedens, id eſt, accipitur pro antecedenti, vt reſtricto per prædicatum, vt in hac copulativa; *omnis homo eſt doctus, & ille diſputat*; ly *ille* non accipitur pro homine abſolutè, ſed accipitur pro homine docto. In copulativis verò negativis, & disiunctivis earum contradictorijs, relativum ſecundæ cathegoricæ accipitur pro antecedenti abſolutè, vt in hac, *homo non eſt doctus, & ille non diſputat*, vel in hac; *homo eſt doctus, vel ille diſputat*, ly *ille* accipitur, non pro homine docto, ſed pro homine abſolutè.

Tertia regula pro ſuppoſitione eſt, *quod relativum reciprocum ſupponit ſicut ſuum antecedens*, vt in hac, *mater diligit filium ſuum*, ly *ſuum* ſupponit determinate ſicut *mater*: &

quando propoſitio eo conſtans reſolvitur in ſuas ſingulares, etiam relativum reſolvitur. Relativa verò non reciproca ſupponunt iuxta qualitatem ſignorum, quibus afficiuntur, vt ſi dicas, *omnis homo eſt albus, & ille pulcher*, ly *ille* ſupponit præcisè determinatè: quia nullo afficitur ſigno.

CAPITVLVM VI.

DE AMPLIATIONE, ET RESTRICTIONE.

§. I.

Diffinitiones vtriuſquè explicantur.

DIFFINITVR igitur ampliatio, *extenſio termini à minori ad maiorem ſuppoſitionem*. Reſtrictio verò diffinitur, *coarctatio termini, à maiori ad minorem ſuppoſitionem*. Pro quo notandum eſt, quod terminus habet quendam ſtatum, quaſi proprium illius, convenientem illi, quando pro

Digitized by Google

pro præſentibus accipitur,& in ordine ad copulam de præſenti, vt in hac, *homo eſt albus*. Et quando talem ſtatum excedit, & accipitur pro alijs non ſolum præſentibus, ſed futuris, vel poſsibilibus, ampliatur terminus, vt in hac, *homo poteſt eſſe albus*, in qua ly *homo* nedùm pro præſentibus, ſed etiam pro poſsibilibus accipitur.

Si verò terminus ad ſuum ſtatum non perveniat, vt videlicèt accipiatur pro præſentibus, verè reſtringitur, vt in hac, *homo albus currit*, ly *homo* reſtringitur: quia inter homines præſentes ſolùm accipitur pro homine albo.

Contra diffinitionem arguitur. In hac propoſitione *homo currens diſputat*, ly *homo* reſtringitur, etiamſi nullus homo currat. Et tamen non coarctatur à maiori ad minorem ſuppoſitionem. Siquidem ly *homo* currens non ſupponit, dato quod nullus homo currat. Ergo diffinitio reſtrictionis non convenit omni termino reſtricto. Et conſequenter omni diffinito non convenit.

Reſp. tamen facile. Quod ſuppoſitio in præ-

ſenti non accipitur rigurôſe; ſed tantum latè pro vſu, & acceptione termini in ordine ad ſuum ſignificatum. Et ita licèt homo currens non ſupponat, reſtringitur tamen *homo*. Quia verè limitatur vſus,& ſignificatio vocis, vt ſolùm pro homine currente accipiatur.

Eſt tamen duplex ampliatio; quantum ad ſignificata videlicèt, & quantum ad tempora. Ampliatio quidem quantum ad ſignificata eſt, *acceptio termini in ordine ad plura ſignificata*, vt in hac, *homo diſputat*, ly *homo* accipitur non ſolùm pro homine,qui eſt,ſed etiam pro illo, qui erat.Et huius ampliationis ſolùm eſt capax terminus communis, accidentaliter ſupponens; non tamen terminus ſingularis, vel terminus, qui ſimpliciter, aut naturaliter ſupponit.

Ratio autem ea eſt.Quia terminus ſingularis,in hac propoſitione, *Petrus eſt albus*, quamvis poſsit verificari de Petro, qui eſt, vel erat; non tamen ampliatur quantùm ad ſignificata. Quia ſemper reſpicit idem ſignificatum, & eundem Petrum.Nam Petrus qui eſt, vel erat, & eſt ſubiectum in iſta propoſitione, ſemper

eſt

eſt idem numero [illegible] Et ideò prædictus terminus numquam ampliatur quantum ad ſignificata:& ſi verificetur de Petro qui eſt, vel erat.

Ampliatio autem quantùm ad tempora eſt, *acceptio termini in ordine ad plures temporis differentias.* Quod vtiquè intelligendum eſt de pluribus diviſivè, vt in hac, *homo eſt vel fuit*, ly *homo* ampliatur, Eo quod indifferenter ſupponit pro homine, qui eſt, vel fuit. Et ampliationem iſtam quo ad tempora etiam habere poteſt terminus ſingularis. Si verò temporis differentiæ accipiantur collectivè, vt in hac, *homo eſt, & fuit*, ly *homo* reſtringitur. Eo quod accipitur pro hominibus, qui ſunt, & fuerunt; & qui ſunt, & fuerunt, ſunt homines reſtricti, id eſt, qui erant, & modo vivunt; & ita non ſunt tot, quot ſunt, vel fuerunt, Nam qui ſunt, vel fuerunt, ampliat ad omnes, qui ſunt, & etiam aliquando fuerunt, quamvis modo non ſint.

Reſtrictio etiam eſt quoad ſignificata: quando videlicèt terminus accipitur pro pautioribus ſignificatis, ſicut in hac, *homo albus diſputat*, ly *homo* reſtringitur, Quia ſolùm acci-

 pitur

pitur pro homine alb[illegible]etiam datur reſtrictio quantum ad tempora, quando terminus accipitur in ordine ad pautiores differentias temporis, vt in hac, *homo qui fuit, locutus eſt veritatem*, in qua *homo* reſtringitur pro homine, qui determinate fuit.

§. II.

Ampliationis, & reſtrictionis regulæ declarantur.

PRIMA regula eſt, *quod verbum præteriti temporis ampliat ſubiectum ad præſens, & præteritum: reſtringit tamen prædicatum, ad præteritum*, vt in hac, *homo fuit albus*, ly *homo* ampliatur pro homine, qui eſt, vel fuit: ſed ly *album* reſtringitur pro albo, quod fuit, vel quod ſolùm præterito tempore conveniebat. *Verbum verò futuri temporis ampliat ſubiectum ad præſens, & futurum: ſed reſtringit prædicatum ad futurum.* Vt in hac, *homo doctus erit Epiſcopus*, ly homo doctus ampliatur pro homine, qui eſt, vel erit doctus; ſed ly *Epiſcopus*

pus reſtringit pro Epiſcopatu futuro.

Eodem etiam modo,quo ampliatur verbum,ampliatur etiam participium verbi,quando participium eſt totale extremum, vel pars principalis, aut adiectivum extremi, vt in hac, *Adam eiectus eſt de Paradyſo, Anti-Chriſtus erit peccans*, vel *eſt futurus peccator*. Subiectum in prima ampliatur pro eo, quod eſt, vel fuit: & in ſecunda pro eo, quod eſt, vel erit. Sed participium eiectus, accipitur pro eo, quod fuit: & participium peccans in ſecunda, vel futurus peccator, reſtringitur pro eo,quod erit.

Obſervandum tamen eſt, quod quando verbum ſignificat inceptionem, vel deſitionem reſtringit ante ſe ad præteritum,vel futurum,vt in his, *Anti-Chriſtus naſcetur*. Et *Adam obijt*. Anti-Chriſtus accipitur pro eo,qui erit,& Adam pro eo,qui fuit.

Secunda regula eſt, *quod terminus ſignificans inceptionem ampliat rem, quæ fit, ad præſens, vel futurum*, vt in hac, *Petrus facit domum*, ly *domus* ampliatur pro domo, quæ eſt, vel erit. *Terminus verò ſignificans deſitionem, aut* de-

deſtructionem rei, ampliat rem, quæ deſinit ad præſens, vel præteritum, vt in hac, *Petrus deſtruit domum, domus* ampliatur pro domo, quæ eſt, vel fuit.

Tertia regula, *terminus ſignificans prioritatem ampliat rem priorem pro eo, quod eſt, vel erit*, vt in hac, *Petrus eſt prior Anti-Chriſto* accipitur Petrus pro eo, qui eſt, vel erit: *Terminus verò ſignificans poſterioritatem ampliat rem poſteriorem pro eo, quod eſt, vel fuit*; ſicut in hac, *Petrus eſt poſterior Patre.* Petrus accipitur pro Petro qui eſt, vel fuit.

Quarta regula, *termini ſignificantes potentiam ad eſſendum*; ſicut generabile, & producibile, & ly *poteſt* ampliantur vſque ad poſsibilia, vt in his, *Petrus poteſt currere, Petrus poſsibiliter currit.*

Quinta regula, *imaginariò, vel imaginatum amplant vſque ad imaginabilia*, vt in hac, *mons imaginariò eſt chymera*, accipitur *mons* etiam pro monte imaginabili.

Sexta regula, *verba ſignificantia actum animæ interiorem, vt intelligo, volo, ſignifico, ampliant ad imaginabilia*, vt in hac, *intelligo montem*

tem aureum. Accipitur etiam pro monte, qui poteſt fingi.

§. III.

Duplex locus arguendi in ampliatione.

PRIMUS locus eſt, *ab amplo ad non amplum cum diſtributione ampli, poſita conſtantia non ampli, affirmativè valet conſequentia, & negativè etiam ſine conſtantia valet: ſine diſtributione verò, nec affirmativè, nec negativè.* Ponere verò conſtantiam eſt affirmare exiſtentiam rei ſignificatæ per terminum. Exemplum primæ partis eſt, *omnis homo diſputat, & homo doctus eſt.* Ergo homo *doctus diſputat.* Exemplum ſecundæ, *nullus homo diſputat. Ergo homo doctus non diſputat.* Exemplum tertiæ eſt, *homo diſputat, & homo doctus eſt. Ergo homo doctus diſputat.*

Secundus locus, *A non amplo ad amplum, ſine diſtributione ampli, etiam ſine conſtantia non ampli, valet affirmativè, & negativè cum conſtantia non ampli: ſed cum diſtributione ampli, nec negativè,*

tivè, *nec affirmativè valet*. Exemplum primæ partis, *homo albus currit. Ergo homo currit*. Exemplum ſecundæ, *homo albus non currit*, *& homo albus eſt. Ergo homo non currit*. Exemplum tertiæ, *nullus homo albus currit. Ergo nullus homo currit*.

Similes loci arguendi poſſunt in reſtrictione formari, mutato nomine ampli, in non reſtrictum, & non ampli in reſtrictum. Quia idem valet non reſtrictum atque amplum, & reſtrictum, ac non amplum.

Ad reſtrictionem etiam reducuntur Diminutio, & Alienatio, quæ eſt, *diſtractio termini à propria ad impropriam ſignificationem*; vt cum dicitur, *homo eſt pictus*, ly *homo* alienatur, quatenus accipitur pro ſignificato improprio, videlicet pro homine picto. Diminutio verò eſt, *diſtractio termini, à totali ad partialem ſignificationem*; ſicut *Ætiops eſt albus ſecundum dentes*, in qua ly *albus* albedinem partis ſignificat, & non albedinem abſolutè. Cum his ſimiliter reducitur ad reſtrictionem Remotio, quæ *eſt impoſſibilitas termini ad ſupponendum ratione alicuius termini repugnantis ſibi coniuncti*; vt in

hac,

hac, *homo inſenſibilis loquitur*, vel *homo irrationalis currit*, in quibus non ſupponit ſubiectum, eo quod homo inſenſibilis, vel irrationalis dari non poteſt: & propterea Remotio implicatio in adiecto, vel implicatio in terminis appellari ſolet.

CAPITVLVM VII.

DE APPELLATIONE.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit appellatio.

APPELLATIO, quæ in omni materia, tàm Metaphyſica, quàm Theologica valdè neceſſaria eſt, diffinitur, quod ſit, *applicatio ſignificati formalis vnius termini, ad ſignificatum formale alterius*, vt in hac propoſitione, *Petrus eſt magnus Logicus*, in qua ly *magnus*, appellat, ſupra ly *Logicus*, & dicitur terminus appellans: *Logicus* verò dicitur terminus appellatus.

Digitized by Google

In prædicta ergo diffinitione *applicatio* ponitur loco generis, in qua terminus appellans convenit cum alijs terminis applicātibus ſuum ſignificatum ad ſignificatum materiale ſubiecti, qui tamen non dicuntur termini appellantes: quia non applicant ſua ſignificata ad formale ſubiecti; ſed solùm ad materiale, vt in his, *homo eſt albus. Album eſt dulce.*

Alia verò particula, *ſignificati formalis vnius termini, ad formale alterius*, propterea ponitur loco differentiæ: quia in ea termini appellantes, & non appellantes, eſſentialiter differunt.

Duplex verò reperitur appellatio; altera realis, & alia rationis. Appellatio realis eſt, *applicatio ſignificati formalis realis*, vt in hac, *Petrus eſt magnus Logicus.* Appellatio rationis eſt, *applicatio ſignificati formalis, quod eſt aliquid rationis*, vt in hac, *homo eſt ſpecies*, in qua ſignificatum formale ſpeciei, quod eſt aliquid rationis, applicatur homini formaliter, vt abſtracto ab individuis.

§. II.

§. II.

De regulis vtriuſquè appellationis.

PRIMA regula appellationis realis eſt, *quando ſubſtantivum, & adiectivum ponuntur ex parte diverſi extremi, tunc adiectivum non applicat ſuum ſignificatum ad formalè ſubſtantivi; ſed tantùm ad materialè*, vt in hac, *Petrus Logicus eſt magnus*, in qua ly *magnus* non applicat ſupra formale Logici, ſed ſuprà materiale ſubiecti: & denotatur magnitudinem convenire Petro abſolute, non tamen ratione Logicæ. Vndè ſi Petrus ſit magnus in corpore, quamvis in Logica parvus ſit, propoſitio vera erit.

Contra regulam iſtam arguitur. Hæc eſt mala conſequentia, *hæc albedo eſt intenſa. Hæc albedo eſt ſimilitudo. Ergo ſimilitudo eſt intenſa.* Quia in ea variatur appellatio, & in maiori ly *intenſa* applicat ſupra formale albedinis, & in concluſione ſupra formalè ſimilitudinis. Et tamen adiectivum *intenſa*, & ſubſtantivum, videli-

delicet,albedo,& ſimilitudo ponuntur ex parte diverſi extremi.Ergo quamvis ſubſtantivum, & adiectivum ponantur ex parte diverſi extremi,reperitur vera appellatio.

Reſp. tamen neg. cauſalem mai. Quia prædicta conſequentia non propterea mala eſt: quia variatur appellatio; ſed quia applicatio variatur ad materiale videlicet diſtinctum formaliter. Dato namquè albedinem, & ſimilitudinem eſſe realiter idem, ſemper tamen formaliter diſtinguntur. Et ita ſunt materialia diſtincta formaliter: & propter applicationem ad materiale formaliter diverſum, prædicta conſequentia mala eſt. Sicut propter eandem rationem eſt mala conſequentia, quæ ſequitur. *Album eſt intenſum. Album eſt ſimile. Ergo ſimile eſt intenſum.*

Etſi dicas:In conſequentia argumenti, ly *intenſa* applicat ſuum ſignificatum formale ſupra formale albedinis, vt patet. Ergo vera ibi appellatio reperitur. Siquidem Appellatio diffinitur, *applicatio ſignificati formalis vnius termini, ad ſignificatum formale alterius.*

Reſp.neg.conſeq. Quia appellatio debet eſſe

eſſe ſupra ſignificatum formale ſubiecti, diſtinctum à ſignificato materiali:& cum in albedine ſignificatum formale non ſit diſtinctum à ſignificato materiali:inde fit, quod quamvis detur applicatio ſupra ſignificatum formale, non tamen reperitur appellatio.

Secunda regula eſt, *quod quando ſubſtantivum, & adiectivum ponuntur ex parte eiuſdem extremi, datur appellatio vera.* Vt in hac, *magnus Logicus eſt Petrus*; aut *Petrus eſt Logicus magnus*, in quibus denotatur magnitudinem ratione Logicæ convenire. Regula tamen intelligenda eſt; quando ſubſtantivum, & adiectivum non ſignificant formas diſparatas; vt in hac, *Petrus eſt muſicus albus.* Et ratio eſt. Quia in his non poteſt vnum prædicatum ratione alterius convenire formaliter, licet per accidens coniungantur in eodem.

Suas etiam habet regulas appellatio rationis:& prima eſt. *Quod prædicatum ſecundæ intentionis conveniens rebus, & non vocibus appellat ſupra formale ſubiecti.* Vt in hac, *homo eſt ſpecies*, in qua prædicatum convenit formaliter ſubiecto, vt abſtracto ab individuis. Si

prædicatum verò conveniat vocibus, non appellat,ſed facit terminum materialitèr ſupponere, vt in his, *homo eſt nomen* : vel *homo eſt terminus.*

Secunda regula eſt, *quod terminus ſignificans actum animæ interiorem appellat ſupra formale termini attacti per actum.* Vt ſi dicas : *cognoſco venientem*, denotatur me cognoſcere venientem ſub ratione venientis. Extenditur etiam regula ad actionem ſenſuum exteriorum, ſicut *videò parietem, percipio odorem, exprimo mentem.* Intelligitur tamen regula hæc quando verbum præcedit terminum: ſi tamen terminus antecedat verbum, non datur appellatio. Vt in hac, *venientem cognoſco, Papam vidi*, in quibus denotatur me cognoſcere venientem abſolute, & Papam abſolutè vidiſſe; non tamen tempore Papatus. Et ita quando inter arguendum variatur appellatio, mala conſequentia eſt. Sicut hæc eſt mala, *animal eſt genus. Homo eſt animal. Ergo homo eſt genus.* Solùm autem bona eſt, quando ratione termini ſignificantis actum animæ interiorem, arguitur ab appellante, ad non appellantem,

vt

vt in his, *vidi Papam* Ergo *Papam vidi.* Quia ſi vidi Papam tempore Papatus, abſolutè verum eſt me vidiſſe Papam aliquando, quod ſuffi-cit ad conſequens verificandum. Et *cognoſcò venientem. Ergo venientem cognoſco.* Quia ſi illun cognoſco ſub ratione venientis, benè infer-tur me illum cognoſcere ſub aliqua forma-litate, quod ad veritatem conſequentis ſuf-ficit.

Propter ſimilem etiam variationem non valet conſequentia in determinabili, & in de-terminante, ſivè in recto, & obliquo. Namquã-do rectus præcedit obliquum, Significat quid poſſeſſum ab obliquo, vel quod eſt aliquid eius. Et ita non valet, *Rigis equus currit.* Ergo *equus Regis currit. Petri palium eſt bonum.* Ergo *palium Petri eſt bonum.* Quia in antecedenti ac-cipitur equus, pro equo, qui eſt, vel fuit Regis, & palium pro palio, quod eſt, vel fuit Petri: in conſequenti vero accipitur equus, pro equo poſſeſſo à Rege, vt indicat ipſum nomen *equus Regis*, & palium, pro palio à Petro poſſeſſo: Licet quandoque ex modo proferendi oppo-ſitum detur intelligendum, ſicut palium Eli-

ſæi,dicitur palium Eliæ.Quia ex modo loquendi cognoſcitur eſſe accipiendum pro palio ab Elia antecedenter poſſeſſo.

Modò tamen,quia nomina numeralia ſimilitudinem aliquam habent cum terminis appellantibus, propterea in appendice capitis regulas pro numerabilibus aſsignamus. Et prima eſt, *quod nomina numeralia primitivæ ſpeciei, vt vnum, duo, tres, adiuncta termino ſubſtantivo numerant principaliter formas, & minus principaliter ſuppoſita.* Ideſt, denotant principaliter tot eſſe formas ſignificatas per nomina ſubſtantiva, quot ſunt vnitates ſignificatę per nomen numerale;licèt,vt conditio,requiratur ſuppoſitorum multiplicatio.Et ideò,vt tale nomen multiplicetur, debet multiplicari forma cum ſuppoſito ſimul:proptereàque in Divinis tres Perſonæ non ſunt tres Dij.Quia natura vna eſt. Et ſi eadem Perſona haberet duas naturas Divinas, non diceretur duplex Deus.Quia ſuppoſita non eſſent duo.

Secunda regula eſt, *quod nomen numerale primitivæ ſpeciei additum adiectivo ſolùm numerat ſuppoſita.* Et ideò ſi tres homines habe-

rent

rent eandem albedinem dicerentur adhuc tres albi.

Tertia regula eſt, *quod nomen numerale denominatiuum, cuicumque termino coniungatur, numerat concretum, cui adiungitur.* Ideſt, quod ſi concretum ſub aliqua ratione eſt vnum, & ſub alia ratione trinum, poteſt ipſum: vtramque denominationem accipere; ſicut Deus dicitur Trinus, & vnus.

CAPITVLVM VIII.

DE OPPOSITIONE.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit oppoſitio.

VSQVE modò de proprietatibus termini intra propoſitionem exiſtentis, diximus: & modo de proprietatibus vnius propoſitionis in ordine ad alteram diſputamus. In limine tamen præmittendum eſt propoſitionem ſubalternantem, &

ſubalternatam habere qandam oppoſitionem reſpectus, quamvis propriè oppoſitio non ſit. Diffiniturque *Subalternatio, reſpectus vnius propoſitionis ad alteram conſtantem eiſdem terminis, & eodem ordine poſitis, eademque qualitate; quarum tamen vna propoſitio ſit vniverſalis, & alia particularis.* Vt in his, *omnis homo currit. Aliquis homo currit.* Ex quibus ab vniverſali ad particularem valet conſequentia; non tamen èçontra. Et vniverſalis dicitur ſubalternans; particularis verò dicitur ſubalternata, ideſt, ſub altera nata, vel ſub altera contenta. Omiſſa tamen hac impropria oppoſitione

Oppoſitio vera, & propria in communi diffinitur, *affirmatio, & negatio eiuſdem de eodem*, vt in his propoſitionibus, *Petrus currit. Petrus non currit*, quarum vna affirmat id ipſum, quod altera de eodem ſubiecto negat.

Ad huius diffinitionis intelligentiam notandum eſt, propoſitiones oppoſitas debere eſſe oppoſitæ qualitatis, aut vnam affirmativam, & alteram negativam. Vndè iſtæ propoſitiones, *Petrus eſt doctus. Petrus eſt ignarus*, non opponuntur dialecticè. Quia dialectica

at-

attendit admodum ſignificandi ; & quamvis propoſitiones prædictæ opponantur ex parte rei ſignificatæ; non tamen ex modo ſignificandi.

Secundò notandum eſt, prædicatum, & ſubiectum debere eſſe idem re, voce, & ordine. Et ita iſtæ non opponuntur, *omnis canis eſt latrabilis. Aliquis canis non eſt latrabilis.* Nec iſtæ, *gladius occidit. Enſis non occidit.* Quia non opponuntur voce: nec iſtæ, *omnis homo currit. Aliquod currens non eſt homo.* Quia ſubiectum, & prædicatum diverſo ordine ponuntur.

Tertiò notandum eſt, ſubiectum, & prædicatum in vtraque propoſitione debere vniri per eandem copulam pro eodem tempore, & loco, & cum eadem determinatione. Et propterea non opponuntur, *Petrus diſputat. Petrus non diſputabit.* Quia non ſunt pro eodem tempore, & eadem copula non conſtant. Nec iſtæ, *equus in ſtabulo quieſcit. Equus in agro non quieſcit.* Quia non ſunt pro eodem loco. Nec iſtæ, *Petrus eruditè diſputat. Petrus expeditè non diſputat.* Quia diverſa determinatio in vna, & in altera reperitur.

Quartò notandum eſt, obſervandam eſſe eandem ſuppoſitionem, ampliationem, & reſtrictionem, & eandem appellationem. Et ita non opponuntur iſtæ, *homo eſt terminus. Nullus homo eſt terminus*. Quia variatur ſuppoſitio de materiali in formalem: & idem ſi varietur de propria in impropriam: de naturali in accidentalem: vel de ſimplici in perſonalem: quod eſt variari ſuppoſitionem quoad genus. Si tamen ſolùm varietur ſpecies ſuppoſitionis, quæ attenditur, vel conſideratur in præſenti ratione ſolius quantitatis, non propterea vitiabitur conſequentia. Quæ quidem poteſt eſſe bona, etiamſi ſuppoſitio mutetur de determinata in confuſam, vel de diſtributiva in determinatam, vel in confuſam tantùm.

Ex quibus infertur non eſſe oppoſitas ſequentes propoſitiones, *Anti-Chriſtus non peccabit. Anti-Chriſtus peccabit*. Eo quod appellatio variatur. Nam in prima accipitur ſubiectum pro eo, quod eſt, vel fuit; in ſecunda pro eo, quod eſt, vel erit: & ita ſunt ſimul veræ. Nec iſtæ, *homo currit. Homo albus non currit*. Quia homo reſtringitur in ſecunda; non tamen in pri-


prima: ſi tamen ſolùm varietur reſtrictio, quæ provenit à ſignis afficientibus, non tollitur oppoſitio, vt in his, *omnis homo currit. Aliquis homo non currit.*

Hæc autem oppoſitio, ita explicata, dividitur in *contradictoriam*, *contrariam*, *&* *ſub contrariam*, vel in propoſitiones oppoſitas modo prædicto. Ex quibus aliquæ ſunt contradictoriæ, contrariæ, & ſub contrariæ de lege tantum: de quibus infra dicemus. Aliæ verò de lege, & de modo ſimul. Et de his in præſenti diſputamus.

Contradictoriæ de lege, & modo ſimul ſunt propoſitiones oppoſitæ qualitatis, quarum vna eſt vniverſalis, & alia particularis, aut indeffinita, ſicut iſtæ, *omnis homo diſputat*, *Aliquis homo non diſputat*: aut *homo non diſputat*, quæ etiam opponitur contradictorie cum vniverſali prædicta.

Contrariæ de modo, & lege ſunt propoſitiones vniverſales oppoſitæ qualitatis, ſicut iſtæ, *omnis homo diſputat. Nullus homo diſputat.* Sub contrariæ verò de lege, & modo ſunt propoſitiones particulares, vel indeffinitæ

tæ oppoſitæ qualitatis, *vt homo diſputat. Homo non diſputat.* Quæ omnia cernere licèt in figura ſequenti.



§. II.

§. II.

Lex Contradictoriorum explicatur.

EXPOSITIS iam propoſitionibus oppoſitis de lege, & modo, ad oppoſitas de lege neceſſe eſt, deveniamus. Lex ergo contradictoriarum eſt, quod pugnent in veritate, & falſitate: ideſt, quod nō poſsit vtraque eſſe ſimul vera, vel vtraque ſimul falſa, ſicut iſtæ, *Petrus eſt albus*, *Petrus non eſt albus*, quæ non poſſunt eſſe ſimul veræ, vel ſimul falſæ.

Ratio autem ea eſt, Quia eadem res non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe. Nec ſimiliter poteſt aliqua res, nec eſſe, nec non èſſe. Aliàs falſificaretur illud infallbile principium, *quodlibet eſt, vel non eſt*. Ergo duæ contradictoriæ non poſſunt eſſe ſimul veræ. Aliàs eadem res eſſet, & non eſſet ſimul. Nec poſſunt etiam eſſe ſimul falſæ. Aliàs eadem res, nec eſſet, nec non eſſet.

Contra tamen argues. Quod non deſtruitur principium, *quodlibet eſt, vel non eſt*, ex quo den-

dentur duæ contradictoriæ ſimul veræ. Ergo poſſunt dari. Et conſequenter lex contradictoriarum, rectè aſsignata non eſt. Prob. ant.Si dentur duæ contradictoriȩ ſimul veræ,benè ininfertur illud principium, *quodlibet eſt,vel non eſt,* Ergo non deſtruitur;ſed potius ȩdificatur.Prob. ant.Benè valet, *aliquid eſt,& ſimul non eſt*, *Ergo aliquid eſt,vel non eſt*. Siquidem arguitur à copulativa ad diſiunctivam,quæ eſt bona conſequentia. Ergo ſi dentur duæ contradictoriæ ſimul veræ, benè infertur illud principium, *quodlibet eſt , vel noneſt*.

Reſp. neg. tria antecedentia argumenti. Non enim illa conſequentia bona eſt:quia non arguitur à copulativa,ad diſiunctivam:ſed potius arguitur à copulativa,ad dilema,vel ad excluſivam.Nam ſenſus eſt, *quodlibet eſt, vel non eſt*, ideſt,quodlibet,vel eſt determinatè,vel non eſt cum excluſione eſſendi.Et ex quo aliquid ſimul ſit,& non ſit,non benè infertur,quod ſi tantùm cum excluſione non eſſendi,vel non ſit cum excluſione eſſendi. Et ita conſequentia facta,mala conſequentia eſt.

§.III.

§. III.

De Lege aliarum oppoſitionem.

LEX contrariarum eſt,quod pugnent in veritate;non tamen in falſitate:ideſt,quod non poſsint eſſe ſimul veræ, benè tamen ſimul falſæ,vt iſtæ, *omnis homo currit.Nullus homo currit*,quarum vtraque eſt falſa,ſi ex hominibus, ſolùm tres,vel quatuor currant.

Ratio autem eà eſt.Quia,ſi duæ contrariæ eſſent ſimul veræ,etiam duæ contradictoriæ eſſent ſimul veræ, hoc implicat.Ergo non poſſunt duæ contrariæ eſſe ſimul veræ. Prob.maior. Si duæ contrariæ eſſet ſimul veræ,v.g.iſte,*omnis homo diſputat.Nullus homo diſputat*,etiam particulares contentæ ſub illis eſſent ſimul veræ. Sed particulares contradictoriæ opponuntur cum ipſis vniverſalibus.Ergo etiam duæ contradictoriæ eſſent ſimul veræ.

Ex quo tamen contrariæ ſint ſimul falſæ non infertur duas contradictorias eſſe falſas. Quia poteſt vniverſalis eſſe falſa, & particula-

la-

laris vera. Sicut vno tantùm homine diſputan-te,vniverſalis eſt falſa: & hæc particularis, *ali-quis homo diſputat*, vera eſt.

Lex ſub contrariarum eſt, quod pugnent in falſitate, non tamen in veritate: ideſt, poſſunt eſſe ſimul veræ, nunquam tamen poſſunt eſſe ſimul falſæ: *vt aliquis homo diſputat. Aliquis homo non diſputat*, quæ ambæ veræ ſunt, ſi vnus diſputet, altero non diſputante.

Ratio autem ea eſt. Quia, ſi ſub contrariæ eſſent ſimul falſæ, darentur duæ contr ariç ſimul veræ. Quod implicat. Prob. aſſumptum. Si iſtæ, *aliquis homo diſputat. Aliquis homo non diſputat*, eſſent falſæ, earum contradictoriæ eſſent veræ. Sed contradictoriæ illarum ſunt vniverſalis affir-mativa, & vniverſalis negativa. Ergo præ-dictæ propoſitiones, quæ ſunt contrariæ eſſent veræ.

Ex quo tamen ſub contrariæ dentur veræ, non ſequitur propoſitiones contrarias eſſe ſi-mul veras. Quia licèt vna propoſitio particu-laris ſit vera, non infertur indè vniverſalem eſſe veram. Nam, vt vniverſalis ſit vera, requi-ritur omnes particulares eſſe veras. Hæc ta-

men

men omnia per ſe, & ex vi formæ intelligenda ſunt: quia oppoſitum contingere poteſt ratione materiæ. Eo quod in materia naturali indeffinita æquivalet vniverſali. Et ita hæ ſub contrariæ, *homo eſt animal. Homo non eſt animal*, non poſſunt eſſe ſimul veræ: ſicut iſtæ, *omnis homo eſt animal. Nullus homo eſt animal*, non poſſunt ſimiliter eſſe ſimul falſæ.

§. IV.

Conditiones cuiuſcumque oppoſitionis.

CONDITIO contradictoriarum ea eſt, quod omnis vniverſalitas vnius, etiam adverbialis, aut Syncathegorematica, ideſt, ſubiecti, vel prædicati, verbi, & adverbij, debet mutari in particularitatem, & particularitas in vniverſalitatem. Qua propter iſtæ propoſitiones, *Petrus ſemper diſputat*, *Petrus nunquam diſputat*, non ſunt contradictoriæ. Quia vniverſalitas de ly *ſemper*, non mutatur in particularitatem de ly *aliquando*. Vndè illius contradictoria erit iſta, *Petrus aliquando non diſ-*

diſputat. Eodem modo vniverſalitas de ly *impoſsibile*, & *neceſſe* debet mutari in particularitatem de ly *poſsibile*, & *poſsibile* non, vel *contingens.* Quæ tamen intelligenda ſunt, quando vniverſalitas non eſt pars extremi. Quia tunc potiùs conſervari debet in eius contradictoria, vt in hac, *omnis homo ſervans omne mandatum ſalvabitur*, ly *omne mandatum* non debet mutari in eius contradictoria. Sicut nec mutatur in contradictoria huius, *omnis homo habens omnem ſcientiam eſt perfectus*: cuius contradictoria eſt iſta, *aliquis homo habens omnem ſcientiam non eſt perfectus.*

Conditio contrariarum eſt, quod in vtraque non maneat eadem particularitas; poteſt tamen eadem vniverſalitas manere: licèt non ſit neceſſarium hoc ſemper contingere, vt patet in his contrarijs de lege, *nullus homo diſputat. Petrus diſputat.* Quia Paulo ſolùm diſputante vtraque eſt falſa.

Ab hac tamen regula excipiendæ ſunt copulativæ, in quibus pars vnius opponitur contrariæ, vel contradictoriæ cum aliqua parte alterius, vt in his, *omnis homo currit, & aliquis ho-*

homo diſputat. Nullus homo currit, & aliquis homo non diſputat. Quæ quidem ſunt contrariæ, quamvis in ſubiecto ſecundæ cathegoricæ vtriuſque eadem particularitas maneat. Eo quod prima pars vnius opponitur contrariȩ cum prima parte alterius.

Conditio ſub contrariarum ea eſt, quod non debet manere in vtraque eadem vniverſalitas, exceptis disiunctivis, in quibus pars vnius prima opponitur contradictoriè, vel ſub contrariè, cum parte alterius, vt in his, *homo currit, vel omnis homo diſputat. Homo non currit, vel nullus homo diſputat.*

Regulas aſsignant aliqui ad cognoſcendas contrarias, & ſubcontrarias. Et prima eſt, *quod ſi poſitis duabus propoſitionibus oppoſitæ qualitatis, affirmativa inferat contradictoriam negativæ, & non inferatur ex illa, ſunt contrariæ.* Sicut iſtæ, *nullus homo diſputat. Petrus diſputat.* Quia, ſi affirmativa infert contradictoriam negativæ, ſi affirmativa eſt vera, contradictoría negativæ eſt vera. Eo quod in bona conſequentia, ſi antecedens eſt verum, etiam conſequens. Sed ſi contradictoria negativæ eſt ve-

ra,ipſa negativa eſt falſa. Ergo pugnant in veritate.

Quod verò, ſi affirmativa non infertur ex contradictoria negativæ, non pugnent in falſitate, pat. Quia in mala conſequentia poteſt dari antecedens verum, & conſequens falſum. Et ita ſi affirmativa non infertur ex contradictoria negativæ, poterit contradictoria negativæ eſſe vera, & affirmativa falſa. Sed ſi contradictoria negativæ eſt vera, ipſa negativa erit falſa. Ergo affirmativa, & negativa non pugnant in falſitate.

Secunda regula per oppoſitum aſſerit, quod, ſi affirmativa inferatur ex contradictoria negativæ, & non inferat illam, ſunt ſubcontrariæ. Quia pugnant in falſitate, non tamen in veritate, vt pat. in his, *nullus homo diſputat. Aliquis homo diſputat*. Si ly *nullus homo* in negativa ſolùm diſtribuat pro maſculis.

Ratio autem ea eſt. Quia ſi affirmativa infertur ex contradictoria negativæ, ſi affirmativa eſt falſa, etiam contradictoria negativæ erit falſa. Siquidem in bona conſequentia, ſi conſequens eſt falſum, etiam antecedens falſum

ſum eſt. Sed, ſi contradictoria negativę eſt falſa; ipſa negativa eſt vera. Ergo affirmativa; & negativa pugnabunt in falſitate. Quod autem, ſi affirmativa non infert contradictoriam negativæ, non pugnent in veritate patet. Quia in illo eventu poteſt affirmativa eſſe vera; & contradictoria negativę falſa. Cum hoc poſsit contingere in mala conſequentia. Sed ſi contradictoria negativæ eſt falſa; negativa erit vera. Ergo affirmativa, & negativa non pugnant in veritate, ſed potiùs ſunt ſimul veræ. Et conſequenter erunt veræ ſubcontrariæ.

CAPITVLVM IX.

DE ÆQVIPOLENTIA.

§. I.

Æquipollentiæ diffinitio traditur.

QVAMVIS omnes propoſitiones eundem ſenſum habentes poſsint dici æquipollentes; ſicut reſolven-

ventes æquipollent reſolubili: & omnes particulares, vel ſingulares copulativè ſumptæ æquivalent vniverſali: in præſenti tamen ſolùm diſputamus de æquipollentibus illis, quæ ex oppoſitis redduntur æquivalentes. Et in hoc ſenſu

Diffinitur *Æquipollentia*, quod ſit, *Æquivalentia quoad ſenſum, & veritatem aliquarum propoſitionum diverſum modum, & formam terminorum habentium.* Quia, ſi eundem modum, & formam terminorum habent, non erunt æquipollentes; ſed erunt propoſitiones identicæ.

§. II.

Regulæ pro æquipollentibus.

VT propoſitiones aliquæ fiant æquipollentes, regula eſt, quod contradictoriæ fiunt æquipollentes, quando vni illarum præponitur negatio, vt iſtæ, *omnis homo currit. Aliquis homo non currit.* Si illi, *omnis homo currit,* præponitur negatio, fit æquipollens alterius. Nam

Nam idem valet, *non omnis homo currit*, quod *aliquis homo non currit*: & idem de altera dicendum. Idem namque valet, *non aliquis homo non currit*, quod *aliquis homo currit*. Ratio autem eſt. Quia negatio eſt malignantis naturę. Et ideò quidquid poſt ſe invenit, deſtruit, & eius oppoſitum reddit: & ita præpoſita alicui contradictoriæ reddit illam æquivalentem cum altèra.

Secunda regula pro contrarijs eſt, quod propoſitiones contrariæ, ſicut iſtæ, *omnis homo currit. Nullus homo currit*, fiunt æquivallentes quando alicui earum negatio poſtponitur. Nam idem valet, *omnis homo non currit*, *&* *nullus homo currit*. Et ſimiliter, *nullus homo non currit*, *&* *omnis homo currit*. Intelligitur tamen regula in contrarijs de modo, non tamen in contrarijs de lege tantùm: & ſimiliter quando in vtraque datur diſtributio completa abſque aliqua reſtrictione. Et propterea non fiunt iſtæ æquipollentes; *omnis homo albus currit. Nullus homo currit*, quamvis alicui earum poſtponatur negatio.

Tertia regula pro ſubalternis eſt, illas fieri

æquippollentes, quando vni illarum præponitur, & poſtponitur negatio; vt in his, *omnis homo currit. Aliquis homo currit.* Nam idem valet, *non omnis homo currit*, quod, *aliquis homo currit*, & ècontra.

Subcontrariæ verò æquippollentes non fiunt. Quia, ſi vni illarum præponitur negatio, redditur vniverſalis: ſi poſtponatur affirmativæ, redditur formaliter ipſa negativa; ſi verò negativæ poſtponatur, fit in congrua locutio, & inepta repetitio: ſi autem præponatur, & poſtponatur æquivalet ſubalternanti ipſius. Regulæ autem traditæ hoc verſiculo continentur.

Præ contradic, poſtcontra, præpoſtquè ſubalter.

Et æquivalentia ſignorum continetur ſimiliter in verſibus, qui ſequuntur.

Non nullus, quidam. Sed nullus non, valet omnis.
Non aliquis, nullus. Non quidam non, valet omnis,
Non alter, neuter. Neuter non, præſtat vterque.

CA-

Digitized by Google

CAPITVLVM X.

DE CONVERSIONE.

§. I.

Converſionis diffinitio.

ALTERA propoſitionis proprietas eſt *Converſio*, vtilis, & neceſſaria, & maximè vt imperfectos ſyllogiſmos ad perfectos reducamus. Et diffinitur, *vnius propoſitionis in alteram per tranſmutationem extremorum, ſervata eadem qualitate, conſequentia formalis*, vt in his, *nullus homo eſt albus.* Ergo *nullum album eſt homo.* In qua quidem conſequentia antecedens dicitur propoſitio *convertibilis*, & conſequens dicitur propoſitio convertens.

Illa verò particula *per tranſmutationem extremorum* denotat extrema eſſe mutanda: ita vt ſubiectum convertibilis fiat in convertente prædicatum: & de prædicato fiat in con-

vertente ſubiectum. Si tamen propoſitio fuerit de ſecundo adiacente, converſio facienda eſt mediante participio incluſo in verbo, vt ſi dicas: *homo eſt*, convertitur in iſtam, *ens eſt homo*: & ſi dicas: *Palium eſt Petri*, convertitur in iſtam, *ens Petri eſt Palium*. Vltima particula, videlicet, *conſequentia formalis*, denotat, quod à convertibili ad convertentem ſemper eſt formalis conſequentia; licèt ècontra quandoque bona non ſit, vt patet in converſione per accidens. Semper tamen eadem affirmatio, vel negatio ſervari debet: quod eſt ſervare eandem qualitatem.

In converſione tamen obſervandæ ſunt proprietates Logicales, & conditiones bonæ conſequentiæ. Et propterea converſiones iſtæ, *homo eſt terminus*. Ergo *terminus eſt homo*. *Homo eſt ſpecies*. Ergo *ſpecies eſt homo*, non ſunt bonæ. Quia in prima, ly *homo* ſupponit materialiter in convertibili, & formaliter in convertente: & in ſecunda ſupponit ſimpliciter in convertibili, & perſonaliter in convertente. Similiter etiam non valet benè. *Hic puer erit ſenex*. Ergo *hic ſenex erit puer*: quia

quia non ſervatur eadem reſtrictio. Eo quod *puer* in antecedenti accipitur pro puero, qui eſt, vel erit, & in conſequenti pro puero, qui determinatè erit. Non valet etiam, *Deus factus eſt homo*. Ergo *homo factus eſt Deus*, quia in antecedenti appellat ly *factus* ſupra naturam humanam; in conſequenti verò ſupra naturam Divinam: & ita appellatio variatur. Vndè ſupradicta propoſitio convertenda eſt in iſtam, *homo, qui factus eſt homo, eſt Deus*.

§. II.

De Converſione in particulari.

HÆC autem converſio triplex eſt, *converſio*; videlicet, *ſimplex*, *per accidens*, & *per contrapoſitionem*. *Converſio ſimplex eſt, Mutatio vnius propoſitionis in alteram ſervata eadem qualitate, & eadem quantitate*. Vndè convertibilis, & convertens mutuo ſe inferunt: & ab vna ad alteram eſt bona conſequentia, vt *aliquis homo eſt albus*. Ergo *aliquod album eſt homo*. Diciturque ſimplex converſio: quia in

ea

ea nullum mutatur accidens,nec qualitas, neç quantitas. Et convertuntur ſimpliciter vniverſalis negativa, & particularis affirmativa, indeffinita,vel ſingularis.

Converſio per accidens eſt, mutatio vnius propoſitionis in alteram variata quantitate, vt ſi dicas, *omnis homo eſt albus.* Ergo *aliquod album eſt homo.* Et quia in ea mutatur accidens quantitatis, dicitur converſio per accidens. Convertuntur autem converſione prædicta vniverſalis affirmativa, & vniverſalis negativa. Sed in converſione vniverſalis affirmativæ à convertente ad convertibilem non eſt bona conſequentia, vt ſi dicas: *Aliquod album eſt homo.* Ergo *omnis homo eſt albus.*

Converſio per contrapoſitionem eſt, mutatio vnius propoſitionis in alteram ſervata eadem quantitate, & qualitate, & terminis finitis mutatis in infinitos, vel terminos contradictorios. Convertuntur autem converſione prædicta vniverſalis affirmativa, & particularis negativa. Quæ omnia his verſiculis continentur.

Simpliciter feci, convertitur eva per acci.
Aſto per contra. Sic fit converſio tota.

In

In illis ergo dictionibus, *Feci*, *Eva*, *Aſto*, vocales repertæ denotant propoſitiones convertibiles triplici converſione prædicta. *Feci* videlicet ſimpliciter. *Eva*, per accidens. Et *aſto* per contrapoſitionem. Et *A* ſignificat vniverſalem affirmativam: & *E* ſignificat vniverſalem negativam: *I* particularem affirmativam: *O* particularem negativam, vt ſequentes indicant verſus

> *Aſſerit A, negat E, ſunt vniverſaliter ambo.*
> *Aſſerit I, negat O, ſunt particulariter ambo.*

Pro converſione per contrapoſitionem duas regulas 2. per hierem. Ariſt. aſsignavit. Prima eſt, *ab affirmativa ad negativam, variato prædicato penes finitum, & infinitum, eſt bona conſequentia.* Sicut benè valet, *homo eſt albus.* Ergo *homo non eſt non albus.* Et ratio eſt, Quia, ſi in negativa non varietur prædicatum pœnes finitum, & infinitum, duo termini contradictorij verificarentur de eodem: v.g. *eſſe album* per affirmativam, & *non album* per negativam.

Secunda regula eſt, *à negativa ad affirmativam*

Digitized by Google

vam, poſsita conſtantia ſubiecti, & variato prædicato penes finitum, & infinitum, eſt bona conſequentia. Sicut benè valet, *homo non eſt albus, & homo eſt. Ergo homo eſt non albus.* Quia alias, duo termini contradictorij falſificarentur de eodem, videlicet, *non eſſe album, & eſſe non album.* Sed regula intelligenda eſt dummodo non varietur appellatio. Et propterea non valet, *homo eſſentialiter non eſt albus. Et homo eſt. Ergo homo eſſentialiter eſt non albus.* Quia nec *albedo*, nec illius negatio, homini eſſentialiter conveniunt.

CAPITVLVM XI.

DE MODALIBVS.

§. I.

Explicatur natura propoſitionis Modalis.

PROPOSITIO *Modalis* dicitur talis à modo determinante, vel reſtringente, vt ſi dicas: *Petrus expeditè diſputat,* in

in qua ly *expeditè* determinat prædicatum, vt ſtet pro diſputatione expedita. Aliquando verò modus determinat tempus, vt ſi dicas: *Petrus diu in peccato permanſit.* Aliquando verò, determinat compoſitionem, vt ſi dicas: *Petrus neceſſariò eſt animal*, in qua denotatur modus, quo prædicatum convenit ſubiecto, videlicet, neceſſariò. Et in præſenti ſolùm agimus de propoſitione modali affecta modo determinante compoſitionem: qui modi ſunt quatuor, *neceſſarium*, vel *neceſſe*, *poſſibile*, *impoſſibile*, & *contingens*. Et propoſitiones habentes tales modos dicuntur modales, propoſitiones verò non habentes illos, dicuntur propoſitiones de in eſſe. Vndè propoſitio modalis poterat diffiniri, *quæ includit modum determinantem convenientiam prædicati ad ſubiectum, & illam principaliter importat.* Propoſitio autem de in eſſe, ea eſt, quæ convenientiam, vel diſconvenientiam prædicati ad ſubiectum ſignificat abſolutè.

Dividitur tamen propoſitio Modalis, in compoſitam, & diviſam. Compoſita eſt, *in qua modus antecedit, vel ſubſequitur totum dictum*, vt

in

in his, *album eſſe nigrum eſt poſsibile*: vel *poſsibile eſt album eſſe nigrum*. *Aut album eſt nigrum poſsibiliter*, vel *poſsibiliter album eſt nigrum*.

Modalis diviſa ea eſt, *in qua modus, ſivè nominalis, ſivè adverbialis mediat inter partes dicti*, vt ſi dicas: *Album poſsibile eſt eſſe nigrum*, vel *album poſsibiliter eſt nigrum*.

Pro quo notandum, quod dictum eſt id, quod dicitur, videlicèt, *nigrum eſſe album*; vel *album eſt nigrum*. Quod quidem dicitur poſsibile, vel impoſsibile: & ly *poſsibile*, vel *contingens* dicitur modus: quatenus indicat modum, quo dictum poteſt eſſe, vel non eſſe. Et idem quod ſignificat ly *poſsibile*, poſitum in medio dicti; ſignificat verbum *poteſt*: & ita ſemper conſtituit modalem diviſam. Nam *album poteſt eſſe nigrum*, idem valet, *quod album poſsibiliter eſt nigrum*.

Addimus tamen modalem compoſitam talem appellari: quia modus in illa componit, & coniungit extrema denotando vtrumque poſſe ſimul eſſe; ſicut *poſsibile eſt album eſſe nigrum*, idem eſt, quod idem poteſt eſſe ſimul nigrum, & album, & vtrumque coniungere. Modalem ve-

verò diviſam talem appellari : quia modus in illa denotat ſubiectum , & prædicatum poſſe convenire eidem ſubiecto tantùm pro diverſo tempore , vt *album poſſibiliter eſt nigrum*, denotat ſubiectum ; quod modò eſt album, poſſe aliquando eſſe nigrum; non tamen conjungendo vtrumque , ſed albedinem amittendo. Vndè propoſitio modalis compoſita facit ſenſum compoſitum : & modalis diviſa ſenſum diviſum : ſignificatque potentiam ad vtrumque in ſenſu diviſo. Modalis verò compoſita indicat potentiam ad vtrumque in ſenſu compoſito.

§. III.

De modali , vt reducibili.

EX duplici modali,compoſita,videlicet , & diviſa , ſola modalis compoſita eſt immediatè reducibilis ad ſuam *officiantem*, ideſt,ab illa ad ſuam *officiantem* : & ab *officiante* ad illam , eſt bona conſequentia. *Officians* verò dicitur propoſitio illa , in qua modus præ-

prædicatur de propoſitione incluſa in dicto; ſicut officians huius modalis, *Petrum diſputare eſt poſsibile*, eſt iſta, *Petrus diſputat eſt poſsibilis propoſitio*:& ab vna ad alteram benè valet, vt per ſe manifeſtum eſt.

Modalis tamen diviſa non eſt immediatè reducibilis ad ſuam officiantem, ſed priùs debet reſolvi ratione ſubiecti, vt ſi dicas: *Hoc eſt album. Et hoc poſsibiliter eſt nigrum. Ergo album poſsibiliter eſt nigrum*, qua reſolutione facta poterit reſolvi dicendo: *Album poſsibiliter eſt nigrum.* Ergo *hoc quod eſt album eſt nigrum, eſt propoſitio poſsibilis.*

Ex doctrina tradita ſequitur, quod à modali compoſita de ly *poſsibile*, ad diviſam eſt bona conſequentia; non tamen ècontra. Quia compoſita plus requirit ad ſui veritatem, quam diviſa. Et ita benè valet, *album eſſe nigrum eſt poſsibile.* Ergo *album poſsibiliter eſt nigrum*, ſed ècontra non valet. A modali verò compoſita de ly *impoſsibile* ad diviſam non valet conſequentia; valet tamen à diviſa ad compoſitam. Et ita non valet, *album eſſe nigrum eſt impoſsibile.* Ergo *album impoſsibiliter eſt nigrum.* Valet

let tamen, *album impoſsibiliter eſt nigrum.* Ergo *album eſſe nigrum eſt impoſsibile.* Quia minus requiritur, vt aliqua poſsint eſſe diviſivè, quam vt poſsint eſſe ſimul. Et ita ex quo ſit impoſsibile aliqua eſſe ſimul, non benè infertur eſſe impoſſibile poſſe eſſe diviſivè.

Infertur etiam, à modali de *neceſſe*, vel *impoſsibili* ad propoſitiones de in eſſe, eſſe bonam conſequentiam; non tamen ècontra. Sicut benè valet, *Petrum eſſe lapidem eſt impoſsibile. Ergo Petrus non eſt lapis. Petrum eſſe rationalem eſt neceſſe. Ergo Petrus eſt rationalis*, ſed non valet, *Petrus eſt albus. Ergo Petrum eſſe album eſt neceſſe*: vel *Petrus non eſt albus. Ergo Petrum eſſe album eſt impoſsibile.*

Tandem infertur à modali de *poſsibili*, & de *contingens* ad ſuam de in eſſe, eſſe malam conſequentiam: & eſſe bonam ècontra, ſicut non valet, *Petrum currere eſt poſsibile. Ergo Petrus currit.* Valet tamen, *Petrus currit*, ergo *currere eſt poſsibile.* Quia arguitur ab actu ad potentiam. Et ſimiliter valet benè, *Petrus non currit.* Ergo *Petrum currere eſt contingens.*

Arguitur contra primum. Hæc eſt modalis

compoſita, *omne animal eſſe hominem eſt poſſibile.* Et tamen non eſt immediatè reducibilis ad officiantem. Ergo non omnis modalis compoſita eſt immediatè ad officiantem reducibilis. Prob. min. Non benè valet, *omne animal eſſe hominem eſt poſſibile.* Ergo hæc eſt poſſibilis, *omne animal eſt homo.* Aliàs hoc animal, & hoc, & hoc, deſignatis etiam brutis, eſſet homo. Siquidem benè valet, *omne animal eſt homo.* Ergo *hoc, & illud animal, & quodcumque deſignetur, eſt homo.*

Reſpond. negando min. ad prob. diſt. ant. Abſolutè ſumpta propoſitione: cōc. ant. Sumpta pro tempore terminante potentiam: nego ant. Quia officians prædictæ propoſitionis non eſt hæc, *omne animal eſt homo eſt poſſibilis propoſitio*, ſumpta abſolutè: ſed ſumpta pro tempore terminante potentiam, pro illo, videlicèt tempore, pro quo non ſit aliquod irrationale, pro quo tempore vera eſt, & eſt bona conſequentia.

Contra ſecundum arguitur. Hæc eſt mala conſequentia, *prædeſtinatum ſalvari eſt neceſſe:* cum prædeſtinatum ſalvari, & decretum

Di-

Divinum impleri ſit neceſſarium, & infallibile. Ergo *prædeſtinatus neceſſario ſalvatur*. Quia prædeſtinatus ſalvatur libere. Et conſequenter non neceſſariò. Et tamen arguitur à compoſita ad diviſam. Ergo non ſemper conſequentia à compoſita ad diviſam bona eſt.

Reſpond. facilè, regulam intelligendam eſſe quando modus in antecedenti, & conſequenti eandem neceſsitatem importat: quod tamen non contingit in conſequentia facta. Quia in antecedenti dicit neceſsitatem ſoliùs conſequentiæ, & infallibilitatis; in conſequenti verò importat neceſsitatem conſequentis oppoſitam libertati: quam quidem neceſsitatem non habet prædeſtinatus: quia libere ſalvatur. Et propterea conſequentia prædicta mala eſt.

§ III.

De oppoſitione modalium.

QVAMVIS aliquando in modalibus duplex quantitas, duplexque qualitas concurrat, altera dicti, & altera modi:

quia tamen in modalibus præcipuè attenditur modus: propterea propoſitio modalis, cuius modus eſt negativus dicitur negativa, & ſi modus eſt affirmativus, dicitur affirmativa: & particularis, ſi modus eſt particularis: vniverſalis verò, ſi modus illius vniverſalis eſt.

Ad huius intelligentiam notandum eſt, modum *neceſſe* eſſe vniverſalem affirmativum, & eſſe idem quod *omnis*: & modum *impoſsibile* eſſe vniverſalem negativum, & idem quod *nullus*: & modum *poſsibile* eſſe modum particularem affirmativum, & idem quod *quidam*. *Contingens* verò eſſe idem quod *quidam non*, vt aliqui exiſtimant: Veriùs tamen credimus contingens eſſe modum particularem affirmantem: & ita in particulari negativa debere poni *contingens non*, quod idem eſt quod *quidam non*. Qua propter vniverſalis affirmativa eſt, *Petrum diſputare eſt neceſſe*: & negativa vniverſalis eſt, *Petrum diſputare eſt impoſsibile*: & particularis affirmativa eſt, *Petrum diſputare eſt poſſibile*: & particularis negativa eſt, *Petrum diſputare non eſt contingens*.

Sed, vt in promptu aſsignari poſsit oppo-

poſito inter modales, habent Dialectici, quatuor dictiones ſequentes, *Purpurea*, *Illiace*, *Amavimus*, *Edentuli*. Quarum vocales ſunt A. E. I. V. *A.* denotat propoſitionem modalem illi correſpondentem eſſe affirmativam, tàm de dicto, quàm de modo. *V.* denotat negativam de modo, & dicto. *E.* negativam de dicto, & affirmativam de modo. *I.* negativam de modo, & affirmativam de dicto. Quod totum ſequenti verſiculo continetur.

E. dictum negat, I. que modum, nihil A. ſed V. totum.

Quia tamen in quacumque dictione ſunt quatuor ſyllabæ, propterea quatuor propoſitiones in illis conſtituendæ ſunt. Prima de *poſſibile*: ſecunda de *contingens*: tertia de *impoſſibile*: quarta de *neceſſe*. Iuxta verſum.

Poſſibile, contingens, impoſſibile, neceſſe.

Ex his habes propoſitiones de *Purpurea* eſſe

contrarias propoſitionibus de *illace* : & contradictorias propoſitionibus de *edentuli* : & ſubalternantes propoſitionibus de *amavimus*. Et propoſitiones de *amavimus*, & *edentuli* eſſe inter ſe ſub contrarias. Quod,vt facilius percipias,inſpice figuram ſequentem.

Digitized by Google

Æquipollentes.


1. Dictio.

Pur. Petrũ non loqui non eſt poſsibile.
Pu. Petrũ non loqui non eſt contingẽs.
Re. Petrũ non loqui eſt impoſsibile.
A. Petrum loqui eſt neceſſe.

Æquipollentes.

2. Dictio.

I. Petrum loqui non eſt poſsibile.
Li. Petrum loqui non eſt contingens.
A. Petrum loqui eſt impoſsibile.
Ce. Petrum non loqui eſt neceſſe.



Æquipollentes.

3. Dictio.

A. Petrum loqui eſt poſsibile.
Ma. Petrum loqui eſt contingens.
Vi. Petrũ loqui non eſt impoſsibile.
Mus. Petri non loqui non eſt neceſſe

Æquipollentes.

4. Dictio.

E. Petrum non loqui eſt poſsibile.
Den. Petrũ non loqui eſt contingens.
Tu. Petrũ non loqui nõ eſt impoſsibile
Li. Petrũ loqui non eſt neceſſe.

Ex dictis facilè percipitur quommodo opponantur modales diviſæ, quamvis in illis ſenſus præcipuè conſiderandus ſit, Inſuper etiam per eaſdem dictiones, & iuxta litteras aſsignatas diſponenda eſt oppoſitio inter modales compoſitas de termino communi.

Et ſi regulæ aſsignatæ veriſsimæ ſint, difficilè tamen in memoria conſervantur. Et ideò, vt facilius poſsint. Dialectici opponere modales, & oppoſitionem cognoſcere, recordari debent illius verſiculi, *præ contra dic, poſt contra, præpoſtquè ſubalter.* Quia *neceſſe* eſt vniverſale affirmativum: & *impoſsibile* vniverſale negativum; & *poſsibile*, particulare affirmativum: & *contingens non* particulare negativum. Vndè, ſi negatio pæponitur ad *neceſſe*, æquivalet ſuæ contradictoriæ: & ſi poſtponatur, æquivalet contrariæ, videlicet admodum de *impoſsibile*: & ſi ante, & poſt ponatur æquivalet ſubalteratnæ, videlicet affirmativæ, de modo poſsibili. Et ideò *Petrum non loqui non eſt poſsibile* eſt idem, quod *Petrum loqui eſt neceſſe.* Et *Petrum loqui non eſt poſsibile*, eſt idem *quod Petrum loqui eſt impoſsibi*, & *Pe-*

Petrum non loqui eſt neceſſe, eſt idem *quod Petrum loqui eſt impoſſibile*. Et ſecundum prædictum modum facilè in venies modales oppoſitas eodem modo, quo iuxta regulam prædictam cognoſcitur inter propoſitiones ſimplices æquipollentia, & earum oppoſitio.

CAPITVLVM XII.

DE PROPOSITIONE EXPONIBILI.

§. I.

Eius natura, & diviſio proponitur.

PROPOSITIO *exponibilis*, quæ formaliter eſt cathegorica, & virtualiter hypothetica: quatenus per duas, vel plures cathegoricas exponitur, diffinitur in præſenti, *quæ ratione alicuius termini obſcurum ſenſum implicantis, indiget explicatione.* Vt *tantùm homo eſt riſibilis*, ratione illius termini *tantùm* explicatione opus habet.

Inter propoſitiones exponibiles, alia eſt ex-

excluſiva : alia *exceptiva* : alia *reduplicativa.* Excluſiva eſt , *quæ modificatur aliquo termino ſignificante excluſionem* ; v.g. his terminis , *tantum, vel præcisè* , aut *duntaxat*.

Exceptiva verò , *quæ modificatur aliquo termino ſignificante exceptionem.* Vt his terminis *præter* , *niſi* , *dempto* , &c. ſicut *omne ens præter Deum eſt finitum.* Reduplicativa autem *modificatur termino ſignificante cauſam convenientiæ prædicati ad ſubiectum* , vt hæc , *homo in quantum rationalis eſt riſibilis.* Et eiuſdem generis eſt illa particula *quatenus* , *ſecundùm quod* , vel *prout ſic*.

Ad intelligentiam tamen notandum eſt, aliam eſſe exponibilem purè affirmativa , vt *tantùm homo eſt riſibilis.* Aliam purè negativam, vt *non tantùm homo eſt riſibilis* , in qua negatio poſita infronte propoſitionis quidquid poſt ſe invenit, deſtruit: & ita negat modum ſimul, & verbum. Alia eſt affirmativa de modo , & negativa de verbo, vt *tantum homo non eſt riſibilis*, Alia negativa de modo , & affirmativa de verbo, ſicut, *non tantùm homo non eſt riſibilis*: in qua quidem negatur modus , ſed affirmatur verbum,

Quia

Quia afficitur duplici negatione: & paritas negationum affirmat. Et ex his omnibus propoſitio affirmativa exponitur copulativè: negativa verò exponitur diviſivè. Et propoſitio tertij generis, exponitur etiam copulativè: ſed propoſitio quarti generis exponitur disiunctivè, & modo contradictorio.

Notandum ſimiliter eſt, propoſitionem exponibilem explicari, vel exponi per vnam *præiacentem*, & aliam, vel alias exponentes. *Præiacens* dicitur ipſa exponibiles ablato modo, vt in hac, *tantùm homo eſt riſibiles*, præiacens appellatur, *homo eſt riſibilis*.

Quomodo autem excluſivæ exponendæ ſint, denotat verſiculus ille, *Iſte*, *Regit*, *Proram*, *Clavo*. Cuius primæ dictio, videlicet, *iſte* correſpondet purè affirmativæ: & denotat propoſitionem excluſivam purè affirmativam exponi per duas propoſitiones, quarum prima eſt particularis affirmativa, & ſecunda vniverſalis negativa ſicut hæc: *tantùm homo eſt riſibilis*, exponitur ita, *homo eſt riſibilis, & nihil alind ab homine eſt riſibile*.

Dictio ſecunda, *Regit* correſpōdet purè negati-

væ,

væ: & denotat illam exponi per vnam vniverſalem negativam, & ſecundam particularem affirmativam: ſicut hæc, *non tantùm homo eſt riſibilis*, exponitur ita, *nullus homo eſt riſibilis*, vel *aliquid aliud ab homine eſt riſibile*

Dictio tertia, videlicet *Proram*, correſpondet tertiæ propoſitioni affirmativæ de dicto, & negativæ de verbo, quæ exponitur copulativè per particularem negativam, & vniverſalem affirmativam: vt hæc, *tantùm homo non eſt riſibilis*, exponitur ita, *homo non eſt riſibilis*, & *omne aliud ab homine eſt riſibile*.

Quarta dictio, *Clavo*, correſpondet quartæ propoſitioni negativæ de dicto, & affirmativæ de verbo, quæ exponitur per vniverſalem affirmativam, & particularem negativam disiunctivè: vt hæc, *non tantùm homo non eſt riſibilis*, exponitur ita: *omnis homo eſt riſibilis*, vel *aliquid aliud ab homine non eſt riſibile*.

§.II.

§. II.

De Exceptivis.

IN propoſitione *Exceptiva*, particula, quæ ſignificat exceptionem, appellatur *excipiens*. Subiectum quod ponitur ante illam, formaliter, vel virtualiter, dicitur terminus, à *quo fit exceptio*. Et terminus ſuper quem particula cadit, dicitur pars excepta. Et prædicatum dicitur *terminus exceptus*. Exponitur autem per tres propoſitiones, in quarum prima dicitur prædicatum de omni diſtincto à parte *excepta*, ſive negativè, ſive affirmativè: in ſecunda de parte *excepta* dicitur terminus à *quo fit exceptio*: & in tertia de *parte excepta* dicitur *terminus exceptus*.

Quam tamen affirmationem, vel negationem, vniverſalitatem, vel particularitatem habere debeant exponentes, indicatur indictionibus, quæ ſequuntur, *Lavatè*, *Commoti*, *Peccata*, *Hyſopo*. Prima denotat propoſitiones primi generis purè affirvativas exponi per duas vni-

vniverſales affirmativas, & alteram vniverſalem negativam, vt *omne animal præter hominem eſt irrationale*, exponitur ita, *omne animal aliud ab homine eſt irrationale: & omnis homo eſt animal: & nullus homo eſt irrationalis.*

Secunda exponitur diſiunctivè in hunc modum, non omne *animal præter hominem eſt irrationole. Aliquod animal aliud ab homine non eſt irrationale: vel aliquis homo non eſt animal: vel aliquis homo eſt irrationalis*, iuxta vocales *Commoti*.

§. III.

De reduplicativis.

IN reduplicativis advertendum primò, quod particula *inquantum, quatenùs*, & aliæ ſimiles, accipi poſſunt ſpecificativè, diminutivè, reſtrictivè, & etiam reduplicativè. Sumitur quidem ſpecificativè, quando denotat formam, vel conditionem requiſitam, vt prædicatum conveniat; non tamen cauſam ſufficientem convenientiæ, vt in hac, *ignis inquantum*

tum applicatus comburit, Ly *inquantum* denotat conditionem requiſitam ad comburendum in igne. Et in hac, *Chriſtus in quantum homo eſt paſſus*, denotat naturam humanam ratione cuius convenit pati; non tamen cauſam paſsionis. & ideò in vtraquè ſpecificativè tantùm accipitur.

Sumitur diminutivè particula, quando denotat prædicatum aptum convenire toti, ſolum convenire ratione partis, vt in hac, *Æthiops eſt albus ſecundùm dentes*. Sed in hac, *Petrus eſt criſpus ſecundùm capillos*, non ſumitur diminutivè, ſed ſolùn ſpecificativè. Quia criſpitudo ſolùm ratione capillorum convenire poteſt. Reſtrictivè accipitur, quando facit prædicatum convenire alicui parti determinatæ ſubiecti, vt in hac, *omne animal, inquantum rationale eſt riſibile*, denotat prædicatum convenire alicui ſubiecto tantùm contento ſub animali, videlicet, animali rationali.

Tandem reduplicativè ſumitur, quando denotat cauſam ſufficientem convenientiæ prædicati ad ſubiectum. Et in hoc eventū tantùm reduplicativam propoſitionem conſti-

ſtituit, qualis eſt, *omnis homo in quantum rationalis eſt riſibilis.*

In prædicta propoſitione quatuor termini reperiuntur, ſubiectum, videlicèt *homo*, & prædicatum *riſibile*, dictio reduplicans, ſcilicèt *inquantum*, & terminus reduplicatus, ſcilicèt *rationalis*.

Exponitur propoſitio prædicta per quatuor propoſitiones, quarum prima eſt præiacens: & in ſecunda dicitur de ſubiecto terminus reduplicatus: in tertia dicitur prædicatum de termino reduplicato: & in quarta denotatur cauſam, vel formam reduplicatam eſſe cauſam, vel non eſſe, vt prædicatum ſubiecto conveniat. Et ex his prima eſt purè affirmativa, ſecunda eſt purè negativa; in tertia negatur verbum, & non modus reduplicans: & in quarta negatur modus, non tamen verbum. Prima exponitur copulativè, ſecunda disiunctivè, tertia copulativè, & quarta disiunctivè.

Quam autem qualitatem, & quantitatem exponentes habere debeant, explicant dictiones ſequentes, *Adamaſti Pro honore, detrahendo, ſymoniam.* Vndè prima propoſitio *homo inquantum*

tum rationalis eſt riſibilis, exponitur ita, *omnis homo eſt riſibilis. Omnis homo eſt rationalis, & omne rationale eſt riſibile. Et quia aliquid eſt rationale, eſt riſibile.* Quo proportionali modo aliæ reduplicativę iuxta vocales illis correſpondentes exponendæ ſunt.

Ex his habes, quod à qualibet exponibili ad ſuas exponentes, & ècontra, ſemper eſt bona conſequentia. Quia omnes exponentes æquivalent exponibili, & illa omnibus æquivalet.

Habes ſecundò, quod ab exponibili copulativè ad quamlibet exponentium eſt bona conſequentia; non tamen è

contra. Quia à parte copulativæ ad totam bona conſequentia non eſt.

Tertiò habes, quod ab exponibili disiunctivè ad quamlibet exponentium eſt mala conſequentia; bona tamen eſt ècontra. Quia à disiunctiva ad partem eſt mala conſequentia; ſed à parte ad totam bona eſt.

Inſuper habes exponibiles opponi eodem modo, quo illarum exponentes. Et ita, ſicut exponentes primi generis opponuntur contrariè

cum propoſitionibus tertij generis: & contradictoriè cum propoſitionibus ſecundi generis: ita etiam exponibilis opponuntur.

Habes etiam, quod ſubiectum exceptivæ non poteſt immediatè reſolvi per aſcenſum, vel deſcenſum. Vndè non valet, *omne animal præter hominem eſt irrationale*. Ergo hoc animal, & illud *animal præter hominem eſt irrationale*. Quia ab hoc animali non poteſt excipi homo: ſiquidem homo non continetut ſub hoc animali. Et ideò debet priùs tota exceptiva reſolvi ratione particulæ *præter*: & hac reſolutione ſuppoſita, poterit reſolvi ſubiectum illius.

Similiter excluſiva propoſita, ſi affirmativa eſt, non poteſt reſolvi per deſcenſum, vt ſi dicas, *tantum homo eſt riſibilis*. Ergo *tantùm hic homo eſt riſibilis, vel tantum ille homo eſt riſibilis*. Si tamen negativa ſit, poterit immediatè reſolvi, vt ſi dicas, *non tantùm homo eſt albus*. Ergo *non tantum hic homo eſt albus, vel ille*.

Reduplicativa verò, ſivè affirmativa, ſivè negativa ſit, poteſt immediatè reſolvi, *vt omnis homo in quantum rationalis eſt riſibilis*. Ergo *hic homo, & ille, & ille in quantum rationalis eſt riſibi-*

bilis. Et benè ſimiliter valet, *non omnis homo in quantum rationalis eſt riſibilis*. Ergo *non hic homo, vel non ille homo, in quantùm rationalis eſt riſibilis*.

§. IV.

De alijs exponibilibus.

INTER propoſitiones exponibiles meritò numerantur propoſitiones exponibiles de *incipit*,& de *finit*,& de *primò*,& *vltimò*. Propoſitio affirmativa de verbo *incipit* ſignificante inceptionem intrinſecam, exponitur copulativè per vnam affirmativam, in qua prædicatum affirmatur ſubiecto per verbum eſt, & alteram negativam de verbo fuit. Vt ſi dicas: *Petrus incipit eſſe albus*,exponitur ita, *Petrus nunc eſt albus, & antea non fuit albus,aut antea non erat albus*. Propoſitio negativa,exponitur disiunctivè modo contradictorio,ſicut hæc,*Petrus non incipit eſſe albus*, exponitur ita,*Petrus nunc non eſt albus,vel antea erat albus*.

Ptopoſitio tamen affirmativa de verbo *de*

ſinit ſignificante deſitionem intrinſecam exponitur copulativè per vnam affirmativam de verbo *eſt*, & alteram negativam de verbo *erit*, vt hæc, *Petrus deſinit eſſe albus*, exponitur ita, *Petrus nunc eſt albus, & immediatè poſt hoc non erit albus.* Negativa verò exponitur modo contradictorio, vt hæc, *Petrus non deſinit eſſe albus*, exponitur ita, *Petrus nunc non eſt albus, vel immediatè poſt hoc erit albus.*

Propoſitio autem affirmativa de ly *primò*, exponitur copulativè per affirmativam præiacentem, & negativam, in qua prædicatum negatur de alio quocumque diſtincto à ſubiecto, vt hæc, *Adam fuit primus homo*, exponitur ita, *Adam fuit homo, & non fuit alius homo ante illum.* Propoſitio verò negativa exponitur disiunctivè, & modo contradictorio, vt hæc, *Petrus non fuit primus homo*, exponitur ita, *Petrus non fuit homo, vel fuit alius ante illum.*

Propoſitio affirmativa de ly *vltimò* exponitur copulativè, per vnam affimativam, & alteram negativam, vt hæc, *Paulus erit vltimus homo*, exponitur ita, *Paulus erit homo, & non erit alius poſt illum.* Negativa autem exponitur disiun-

iunctivè, & modo contradictorio, vt hæc, *Anti-Chriſtus non erit vltimus homo.* Exponitur ita, *Anti-Chriſtus non erit homo, vel erit alius poſt illum.*

Proportionabiliter exponi debent propoſitiones habentes ſuperlativum, ſicut hæc, *Petrus eſt pulcherrimus homo*, exponitur ſic: *Petrus eſt pulcher homo, & non eſt alius ita pulcher.* Et negativa exponitur disiunctivè contradictorio modo, vt hæc, *Petrus non eſt pulcherrimus homo*, exponitur ita, *Petrus non eſt pulcher homo, vel eſt alius pulchior, aut ita pulcher ſicut ille.*

Ex quibus habes, quod cum propoſitiones prædictæ exponantur per vnam affirmativam, & alteram negativam, etiam ipſæ non ſunt purè affirmativæ, aut purè negativæ. Vndè non valet in illis conſequentia ab inferiori ad ſuperius affirmativè, nec à ſuperiori ad inferius negativè. Eo quod nunquam arguitur purè affirmativè, aut purè negativè. Et proptereà non valet. *Petrus incipit eſſe albus.* Ergo *incipit eſſe coloratus.* Nec valet, *non incipit eſſe coloratus.* Ergo *non incipit eſſe albus.*

LIBER TERTIVS.

DE PERTINENTIBVS AD TERTIAM operationem.

CAPITVLVM PRIMVM.

DE CONSEQVENTIA.

§. I.

Diffinitio Conſequentiæ traditur.

EST igitur conſequentia, *illatio vnius ex alio*, ideſt, quædam oratio ſignificans connexionem antecedentis cum conſequenti. Quid autem ſint *antecedens*, & *conſequens* ſupra explicatum eſt, & modo tantum adverte, conſequentiam non conſiſtere in antecedenti, aut in conſequenti, ſed in ſolo nexu, vel connexione vtriuſquè, quæ per notam illationis explicatur. Eſt autem conſequentia alia mala, in qua conſequens non infertur

ex

ex antecedenti, quamvis appareat inferri: & hæc tantum æquivocè dicitur conſequentia, & quantum ad apparientiam. Alia verò eſt conſequentia bona, in qua conſequens benè infertur ex antecedenti, ſicut hæc, *homo currit*. Ergo *movetur*. Et de hac ſolùm in præſenti diſputamus.

Dividitur autem conſequentia bona in formalem, & materialem. Conſequentia formalis eſt, *quæ tenet ratione formæ, vel diſpoſitionis ſyllogiſticæ*. Et propterea quotieſcumquè, & in quacumquè materia habetur diſpoſitio prædicta, conſequentia bona eſt, ſicut hæc conſequentia, *omnis homo eſt rationalis. Petrus eſt homo*. Ergo *Petrus eſt rationalis*, bona eſt ad quancumque materiam transferatur, vt ſi dicas: *omnis homo eſt albus. Petrus eſt homo*. Ergo *Petrus eſt albus*. Et propterea dicitur, quod conſequentia formalis tenet in omni materia.

Conſequentia verò materialis eſt ea, quæ bona eſt ſolùm ratione materiæ; non tamen ratione formæ: & ita ſolùm tenet in materia determinata; non tamen in omni materia, ſicut hæc bona eſt ratione materiæ, *homo eſt animal*.

mal. Ergo *omnis homo eſt animal.* Eo quod eſt in materia naturali: & in materia naturali, indefinita æquivalet vniverſali. Sed in alia materia bona non eſt, vt ſi dicas: *Homo eſt albus.* Ergo *omnis homo eſt albus.* Vnde conſequentia formalis eſt bona ſimpliciter: quia in nulla materia inſtatur. Sed conſequentia materialis eſt bona ſecundùm quid, & cum addito, vel in determinata materia.

§. II.

De regulis bonæ conſequentiæ.

PRincipium eſt lumine naturali notum, quod in bona conſequentia non poteſt dari antecedens verum, & conſequens falſum. Cuius ratio ea eſt. Quia conſequentia eſt illatio vnius ex alio: & ita bona conſequentia importat neceſſariò connexionem antecedentis cum illius conſequenti. Sed vnum cum altero connecti eſt, quod vnum non poſsit exiſtere, quin exiſtat & alterum. Ergo in bona conſequentia non poteſt exiſtere veritas antecedentis, quin veri-

veritas conſequentis exiſtat. Ex quo principio aliquæ regulæ deducuntur. Prima eſt, *quod ex antecedenti falſo aliquando ſequitur conſequens verum*, vt ſi dicas: *Homo eſt equus. Ergo eſt animal. Homo eſt lapis. Ergo eſt ſubſtantia.* Quia in his arguitur ab inferiori ad ſuperius affirmativè.

Contra tamen arguitur. In hoc ſyllogiſmo, *omnis lapis eſt ſubſtantia. Omnis homo eſt lapis. Ergo omnis homo eſt ſubſtantia*. Conſequens non eſt verum. Sed de hoc ſyllogiſmo, & alijs huiuſmodi eadem ratio eſt. Ergo in nullo eventu ex falſo ſequitur verum. Probatur mai. In prædicto conſequenti prædicatum falſo affirmatur de ſubiecto, Ergo tale conſequens verum non eſt. Prob. ant. In prædicto conſequenti prædicatum eſt ſubſtantia identificata cum lapide. Quia eſt ſubſtantia contenta in præmiſſis. Et conſequenter identificata cum medio. Nam ex identitate extremitatum cum medio, infertur identitas extremorum inter ſe: & cum medium ſit lapis, erit ſubſtantia identificata cum lapide. Sed ſubſtantia identificata cum lapide non verè affirmatur de homine. Ergo

Ergo prædicatum falſo dicitur de ſubiecto.

Reſp. neg. mai. & ad prob. neg. ant. & ad eius probat diſt. mai. Identificata cum lapide in præmiſsis: conc. mai. In concluſione, & formaliter, vt illata: nego mai. Quia ex identitate extremitatum cum medio infertur identitas extremorum inter ſe. Et ita illa ſubſtantia, quæ pro concluſione infertur, erat in præmiſsis identificata cum lapide: ſed in concluſione non infertur, vt identificata cum lapide, ſed ſolùm, vt identificata cum altera extremitate, omni alio materialiter, & præſuppoſitivè ſe habente. Et cum verum ſit omnem hominem eſſe ſubſtantiam ſecum identificatam. Indè fit quod conſequens in prædicto ſyllogiſmo verum eſt.

Secunda regula bonæ conſequentię ea eſt, *quod ſi antecedens eſt neceſſarium, conſequens debet eſſe neceſſarium.* Quia, ſi conſequens eſſet contingens, poſſet aliquando eſſe falſum: & cum aliundè antecedens neceſſarium nũquam poſsit non eſſe verum, daretur iam aliquando, vel poſſet dari antecedens verum, & conſequens falſum.

Et

Etſi dicas: Antecedens falſum poſſe inferre conſequens verum. Ergo etiam antecedens verum poteſt inferre conſequens falſum. Negatur conſeq. Quia,ſi conſequens continetur in antecedenti verò, eſſentialiter connectitur cum illius veritate;& cum antecedens abſolutè ſit verum,etiam conſequens debet eſſe verum abſolutè.Aliàs non eſſet cum antecedenti connexum. Sed conſequens connexum cum antecedenti falſò ſolùm eſt connexum cum illo vt vero ex ſuppoſitione, vel dato, quòd verum ſit. Et ideò,ex quò conſequens ſit abſolutè verum, non infertur antecedens eſſe verum abſolutè.

Tertia regula eſt, *quod ex antecedenti contingenti, non poteſt ſequi conſequens impoſſibile.* Quia conſequens impoſsibile ſemper eſt falſum: antecedens verò contingens poteſt eſſe verum. Et ita poſſet dari antecedent verum,& conſequens falſum.

Quarta regula eſt, *quod ex impoſſibili ſequitur quodlibet.* Quod quidem non eſt ita intelligendum, quod ex quacumque propoſitione impoſsibili ſequatur vniverſalitèr quælibet

libet propoſitio;ſed quod ex quacumque propoſitione impoſsibili ſequitur aliqua neceſſaria,& aliqua contingens & altera impoſsibilis, vt ex hac, *homo eſt Leo*, infertur benè hæc neceſſaria, *ergo eſt vivens*. Et hæc impoſsibilis, ergo *eſt irrationalis* : & hæc contingens, *ergo vigilat*.

Quinta regula eſt, *quod neceſſarium ſequitur ex quolibet, pro generibus ſingulorum*. Ideſt, dabilis eſt aliqua propoſitio neceſſaria, quæ inferatur ex altera neceſſaria,& ex aliqua impoſſibili,& altera contingente, ſicut hæc neceſſaria, *homo eſt ſenſibilis*, ſequitur ex hac neceſſaria, *homo eſt animal* : & ex hac impoſſibili, *homo eſt equus* : & ex quadam contingente, ex hac videlicet, *homo actualiter ſentit*.

Sexta regula eſt, *quidquid ſequitur ad conſequens bonæ conſequentiæ, ſequitur ad antecedens*. Sicut,quia ex quo aliquid ſit homo, ſequitur eſſe animal, & ad eſſe animal ſequitur eſſe ſenſibile : ita ex quo ſit homo,ſequitur eſſe ſenſibile. Ratio autem eſt. Quia, ſi illud, quod ſequitur ad conſequens, non ſeque-

queretur ad antecedens, poſſet illud, quod ſequitur ad conſequens eſſe falſum, & antecedens eſſe verum. Sed, ſi quod ſequitur ad conſequens eſt falſum, etiam conſequens falſum eſt. Ergo dabitur in bona conſequentia antecedens verum, & conſequens falſum.

Ex quo habes, *illud quod repugnat conſequenti bonæ conſequentæ, repugnare etiam illius antecedenti.* Quia ſi repugnaret conſequenti, & non repugnaret antecedenti, poſſet antecedens eſſe verum, & etiam illud ipſum, quod repugnat conſequenti. Sed ſi illud, quod repugnat conſequenti eſt verum, conſequens erit falſum. Ergo dabitur in bona conſequentia antecedens verum, & conſequens falſum.

CAPI-

Digitized by Google

CAPITVLVM II.

DE INDVCTIONE.

§. I.

Diffinitio Inductionis traditur.

DIFFINITVR Inductio,quod ſit, *argumentum probativum alicuius veritatis, vel falſitatis,per ſingularia, quæ ſenſibus experimur*,vt quando quis probat omnem ignem calefacere ſic inferendo,*hic ignis calefacit,& ille calefacit*, & *ille. Ergo omnis ignis calefacit*:& ſimiliter cum quis probat hanc propoſitionem eſſe falſam,*omnes homo currit*,inferendo ita,*hic homo currit,& ille non. Ergo omnis homo currit, falſa eſt.*

Dividitur inductio in *Aſcenſum* , *& Deſcenſem*. Aſcenſus eſt , *à ſingularibus ſufficienter enumeratis ad vniverſale progreſsio* , vt cum dicimus,*hic homo currit,& ille , & ſic de alijs. Ergo omnis*. Deſcenſus eſt, *ab vniverſali , ad ſingularia*

via progreſio,vt cum dicitur , omnis ignis calefacit. Ergo ille,& ille. Verùm per ly *vniverſale*, non intelligitur determinatè propoſitio vniverſalis; ſed intelligitur etiam propoſitio particularis, vel indiffinita , cuius ſubiectum eſt terminus communis, & poteſt ſupponere pro pluribus ſingularibus, & de pluribus affirmari ſaltem diviſivè,vt cum dicitur, *aliquis homo eſt doctus*.Ergo *iſte,vel ille*.

Eſt tamen differentia inter Aſcenſum , & Deſcenſum:quod Aſcenſus deſervit ad probandam veritatem vniverſalis, & non falſitatem illius. Deſcenſus verò vtilis eſt ad probandam falſitatem,& non veritatem. Prima pars probatur. Singularia in Aſcenſu ſunt antecedens reſpectu vniverſalis. Sed in bona conſequentia,ſi antecedens eſt verum , etiam & conſequens. Ergo aſcenſus probat veritatem vniverſalis.

Secunda pars probatur. In Deſcenſu propoſitio vniverſalis eſt antecedens, & ſingularia ſunt conſequens. Sed ex falſitate conſequentis ſequitur falſitas antecedentis ; non tamen ex veritate conſequentis infertur antece-

ce-

cedentis veritas. Eo quod in bona conſequentia poteſt conſequens verum inferri ex antecedenti falſo. Ergo deſcenſus vtilis eſt ad falſitatem vniverſalis probandam.

Vterquè verò, tàm aſcenſus, quàm deſcenſus eſt quadruplex, copulativus, & copulatus, diſiunctivus, & disiunctus. Aſcenſus, & Deſcenſus copulativus eſt, in quo ſingularia numerantur per propoſitiones copulativas; vt *omnis homo currit. Ergo hic homo currit, & ille homo currit*, &c. Disiunctivus verò eſt, in quo ſingularia numerantur per propoſitiones disiunctivas, vt cum dicitur, *hic homo diſputat, vel ille homo diſputat. Ergo homo diſputat.* Copolatus eſt, in quo ſingularia numerantur per terminos collectivè ſumptos, vt ſi dicas, *omnes Apoſtoli Dei ſunt duodecim. Ergo ille, & ille, omnes numerando, ſunt duodecim.* Disiunctus autem eſt, in quo ſingularia numerantur per terminos diſiunctivè ſumptos, vt ſi dicas, *oculus requiritur ad videndum. Ergo hic vel ille oculus requiritur ad videndum.*

§. II.

§. II.

De regulis inductionis.

AD cognoſcendum verò quiſnam aſcenſus termino debeatur, & etiam à quo termino debeat incipere reſolutio, aliquæ regulæ à dialecticis aſsignantur. Et ad primum. Prima regula eſt, *quod termino ſupponenti diſtributive debetur aſcenſus, & deſcenſus copulativus*. Secunda, *quòd termino ſupponenti determinatè debetur aſcenſus, vel deſcenſus disiunctivus*. Et tertia eſt, *quod termino ſupponenti collectivè debetur aſcenſus, vel deſcenſus copulatus: termino verò ſupponenti confuſè tantum disiunctim debetur aſcenſus, vel deſcenſus disiunctus*.

Addimus. Quod terminus communis, qui ſupponit confuſè: eo quod afficitur ſigno vniverſali affirmativo mediatè, poteſt reſolvi per aſcenſum, & deſcenſum disiunctivum, facta priùs reſolutione ſubiecti, vt in hac, *omnis homo eſt animal*, poſt quam reſolutio ſubiecti

facta eſt, dicendo, ergo *hic homo eſt animal*, & *hic homo eſt animal*, poteſt etiam prædicatum reſolvi dicendo, ergo *hic homo eſt illud animal*, vel *hic homo eſt illud animal.*

Ad ſecundum tamen prima regula eſt, *quod quando omnes termini ſupponunt diſtributivè, vel omnes determinatè, à quolibet eorum poteſt incipere reſolutio*, vt in hac, *aliquis homo eſt albus*, vel *nullus homo eſt albus*, poſſumus incipere reſolutionem provt placuerit, vel à ſubiecto, vel etiam à prædicato.

Secunda regula eſt, *quod quando aliquis terminus ſupponit diſtributivè, & alius determinatè, non poteſt primus terminus per aſcenſum reſolvi, quin ſecundus reſolvatur.* Vndè non benè dices: *Homo eſt hoc animal, & homo eſt hoc animal. Ergo homo eſt omne animal.* Deſcenſus verò à quolibet eorum poteſt incipere, vt ſi dicas: *Homo eſt omne animal*: Ergo *homo eſt hoc animal, & ille homo eſt hoc animal, & ille homo eſt animal.*

Tertia regula eſt, *quod quando vnus terminus ſupponit confusè disiunctim, & alius diſtributivè, non licet immediatè deſcendere, niſi ter-*

terminus, qui ſupponit diſtributivè prius reſolvatur, vt ſi dicas: *Omnis homo eſt albus*, non benè valet, ergo *omnis homo eſt hoc album, & omnis homo eſt hoc album.* Poteſt tamen ſub quolibet eorum fieri aſcenſus immediate, vt ſi dicas: *Omnis homo eſt hoc album, vel omnis homo eſt hoc album.* Ergo *omnis homo eſt albus.*

CAPITVLVM III.

DE SYLLOGISMO.

§. I.

Traditur Syllogiſmi diffinitio.

INTER argumentationis ſpecies, præcipua eſt ſyllogiſmus, quem D. Thomas opuſc. 48. cap. 1. ex Ariſt. diffinivit: *Oratio in qua quibuſdam poſitis, & conceſsis, neceſſe eſt aliud accidere, præterea, quæ poſita ſunt, & conceſſa.* Eſt autem ſyllogiſmus intellectuale arte factum. Quod quidem conſtat ex materia, & forma. Artificioſa diſpoſitio propoſitionum in mo-

modo,& figura eſt illius forma. Materia verò proxima illius ſunt tres propoſitiones, ex quibus componitur: materia autem remota ſunt termini, qui habent in præmiſsis rationem ſubiecti,& rationem prædicati. Ex quibus terminus. Qui ponitur in prima præmiſſa cum medio appellatur maior extremitas: qui verò ponitur in ſecunda, dicitur minor extremitas: terminus autem, qui bis ponitur in præmiſsis, dicitur medium. Vt in hoc ſyllogiſmo, *omne rationale eſt riſibile. Omnis homo eſt rationalis. Ergo omnis homo eſt riſibilis.* In quo prima propoſitio dicitur maior, & ly *riſibile* maior extremitas: ſecunda dicitur minor, & ly *omnis homo* minor extremitas, & ly *rationale* medium. His prælibatis in diffinitione prædicta ſyllogiſmi, *oratio* ponitur loco generis, in qua convenit ſyllogiſmus cum entimmemate, & exemplo, quæ verè ſunt orationes. Alia autem particula, *in qua quibuſdam, &c.* loco differentiæ ponitur, in qua quidem ſyllogiſmus ab omni alio diſtinguitur.

Addimus pro diffinitionis intelligentia, quod ly *poſitis* denotat præmiſſas debere poni, &

& diſponi in modo,& figura:& ly *conceſsis* denotat, quod ſi præmiſſæ rectè diſpoſitæ concedantur,neceſſe eſt concluſionem ſequi. Vndè præmiſſæ rectè diſpoſitę cogunt etiam ad aſſentiendum concluſioni. Quod vtique verum eſt, etiamſi præmiſſæ ſint falſæ, dummodo rectè diſponantur,& concedantur vt veræ.

Addimus inſuper,quod, vt verè ſit ſyllogiſmus,debet ſequi concluſio ex vtraque præmiſſarum. Vndè non erit ſyllogiſmus, ſi concluſio ex vna tantùm ſequatur,vt in hoc,*cuiuslibet hominis canis eſt ſenſibilis. Petrus eſt homo. Ergo Petrus eſt ſenſibilis.*

Arguitur contra diffinitionem prædictam, Bona diffinitio debet dari per genus proximum. Sed prædicta diffinitio ſyllogiſmi non datur per genus proximum. Ergo bona non eſt. Min.pat. Quia genus proximum ſyllogiſmi eſt ſola argumentatio, in qua ſyllogiſmus, & aliæ argumentationes, ſicut inductio, exem plum, & entimmema, vltimo conveniunt. Mai. verò probatur. Bona diffinitio explicat eſſentiam rei. Sed eſſentia rei componitur ex primo genere, & vltima differentia. Ergo bo-

bona diffinitio debet neceſſariò per genus proximum dari,

Reſp. ad argumentum nego min. Quia *oratio*, quæ ponitur in diffinitione ſyllogiſmi, intelligitur de oratione argumentativa, quæ quidem eſt proximum genus ſyllogiſmi: & ita diffinitio traddita ex genere proximo conſtat,

Secundò reſp. diſt. mai. Quando ex oppoſito ſequitur ignorantia rei diffinitæ; conc. mai. Si non ſequatur: nego mai. Nam genus remotum non debet poni quando impedit cognitionem rei diffinitæ, vel confuſionem aliquam parturit; quod tamen in præſenti non ſequitur. Quia per aliam particulam, videlicèt, *quibuſdam poſitis, &c.* clarè percipitur orationem eſſe genus remotum, & commune, & revera, vel in re contractum per aliud quod ſit proximum genus,

§. III.

De principijs regulantibus Syllogiſmum.

PRINCIPIA tamen regulantia ſyllogiſmum, alia ſunt intrinſeca, debita videlicèt, diſpoſitio, quam quilibet ſyllogiſmus debet habere, in modo, & figura debitè conſtitutus. Alia autem extrinſeca ſunt: & hæc, pro ſyllogiſmis imperfectis, ſunt reductiones illorum ad ſyllogiſmos perfectos. Pro ſyllogiſmis verò perfectis ſunt illa principia *dici de omni, dici de nullo. Quæ ſunt eadem vnitertio, ſunt eadem inter ſe.* Ex quibus oritur alterum, videlicèt *ea quorum vnum eſt idem cum tertio, non verò aliud, non ſunt eadem inter ſe.*

Prædicta principia ſequentibus explicantur. Primum, videlicèt, *dici de omni*, indicat, quod quidquid affirmatur de ſubiecto perfectè diſtributo, debet etiam affirmari de omni ſub illo contento: ſicut quidquid dicitur de omni homine debet affirmari de Petro. Vndè benè valet: *Omnis homo eſt riſibilis, Petrus*

eſt homo. Ergo Petrus eſt riſibilis.

Secundum verò principium; ſcilicèt *dici de nullo*, eſt quod quidquid negatur de ſubiecto completè diſtributo, debet etiam negari de omni contento ſub illo. Vndè benè infertur, *Nullus homo eſt inſenſibilis. Petrus eſt homo. Ergo Petrus eſt inſenſibilis.*

Aliud verò principium, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, ſignificat ea, quæ identificantur cum aliquo medio, identificari inter ſe: ſicut quia animal, & Petrus identificantur cum homine, etiam inter ſe identificantur. Et ita benè valet: *Omnis homo eſt animal. Petrus eſt homo. Ergo Petrus eſt animal.*

§. IV.

De diviſione Syllogiſmi ratione materiæ.

DIVIDITVR autem ſyllogiſmus ratione materiæ remotæ in communem, & expoſitorium. Syllogiſmus communis eſt, *cuius medium eſt terminus communis*, ſicut iſte, *omnis homo eſt riſibilis. Petrus eſt homo. Ergo Petrus*

eſt

eſt riſibilis. Syllogiſmus verò expoſitorius eſt, *cuius medium eſt terminus ſingularis* , ſicut iſte, *Petrus diſputat. Petrus eſt homo.* Ergo *homo diſputat.* Et dicitur expoſitorius. Quia ad ſenſum exponit concluſionem ſuam : & innittitur illi principio , *quæ ſunt eadem vni tertio* , *ſunt eadem inter ſe.*

Pro quo breviter notandum eſt , quod medium in ſyllogiſmo prædicto debet eſſe perfectè ſingulare: ita, vt nec mediatè, nec immediatè ſignificet plura. Nec res ſignificata realiter inveniatur in pluribus. Et ita Deus, vel eſſentia Divina non eſt medium aptum ad probandam expoſitorie identitatem Perſonarum. Vndè non valet, *Deus eſt Pater, Deus eſt Filius. Ergo Filius eſt Pater.* Quia Deitas ſignificata per Deum, eſt identificata cum tribus: & propterea debebat in aliqua præmiſſarum diſtribui , vt ſi diceres: *Quidquid eſt Deus eſt Pater. Deus eſt Filius. Ergo Filius eſt Pater* , qui ſyllogiſmos eſſet bonus, ſi maior non eſſet falſa.

Vlterius notandum eſt, quod in prædicto ſyllogiſmo, quando extremitates ſunt termini communes , obſervandæ ſunt regulæ ſupra tra-

Digitized by Google

tradditæ: quod videlicèt, aliqua diſtribuatur, vel ex parte alicuius non arguatur à non diſtributo ad diſtributum, Et ideò non valet, *Petrus eſt albus. Petrus non eſt equus. Ergo equus non eſt albus.* Quia ex parte de ly *albus* arguitur à non diſtributo ad diſtributum. Rurſus medium debet eſſe totale extremnm in aliqua præmiſſarum. Vndè non benè valet, *quidquid diligis, eſt bonum. Quidquid odiſti eſt malum.* Ergo *malum eſt bonum.* Quia ſecunda Perſona, quæ ſubintelligitur, & pro medio ponitur, in nulla præmiſſarum eſt totale extremum.

His ergo breviter inſinuatis de ſyllogiſmo expoſitorio, cuius intelligentia facilis eſt. Dividitur vltra ſyllogiſmus ratione materiæ proximæ in cathegoricum, & hypotheticum, demonſtrativum, topicum, & ſophiſticum. In ſyllogiſmo cathegorico, tàm præmiſſæ, quàm concluſio debent eſſe propoſitiones cathegoricæ. Hypoteticus verò eſt ille, cuius aliqua præmiſſarum eſt propoſitio hypothetica. Demonſtrativus verò, qui conſtat ex propoſitionibus, & veris, & neceſſarijs. Topicus, qui conſtat ex probabilibus tantum, & ita movet ad aſ-

aſſentiendum concluſioni cum formidine alterius partis. Sophiſticus eſt,qui conſtat ex falſis, ſed iu apparientia veris: & propterea ignorantes facit errare,

§. V.

De diviſione ratione formæ.

FORMA ſyllogiſmi,vt vidimus eſt diſpoſitio illius artificioſa, quæ quidem duplex eſt, modus videlicèt,& figura. Figura eſt, *diſpoſitio terminorum ſecundum debitam ſubiectionem, & prædicationem*, & propterea ſunt tres figuræ.Prima,cuius medium in vna præmiſſa ſubijcitur,& in altera prædicatur. Secunda figura eſt, cuius medium in vtraquè præmiſſa prædicatur. Tertia eſt,cuius medium in vtraquè præmiſſa ſubijcitur.

Modus verò ſyllogiſmi eſt,*diſpoſitio propoſitionum ſecundum debitam quantitatem,& qualitatem*: & propterea ratione modi dividitur ſyllogiſmus in decem , & novem modos, qui ſequentibus verſiculis numerantur.

Bar-

Barbara. Celarem. Darij. Ferio. Baralipton.
Celantes. Dabitis. Fapeſmo. Friſeſomorum.
Ceſare. Cameſtres. Feſtino. Baraco.
Darapti. Felapton. Diſamis. Datiſi.
Bocardo. Feriſon.

In quacumque verò ex dictionibus prædictis litteræ vocales ſignificant quantitatem, & qualitatem propoſitionum, in quibus conſtituendus eſt ſyllogiſmus: prima quidem vocalis, quantitatem, & qualitatem præmiſſæ maioris: ſecunda minoris: tertia concluſionis, aut conſequentis, iuxta regulam traditam ſupra: quod videlicet littera *A.* ſignificat vniverſalem affirmativam: *E.* vniverſalem negativam: *I.* particularem affirmativam: *O.* particularem negativam.

Ex omnibus etiam modis aſsignatis, novem priores modi pertinent ad primam figuram: quatuor ſequentes pertinent ad ſecundam: & ſex alij pertinent ad tertiam. Ex quibus omnibus quatuor priores modi primæ figuræ ſunt perfecti, & nulla indigent reductio-

ctione ad alios, vt in eis evidenter appareat bonitas conſequentiæ. Cæteri verò omnes ſunt modi imperfecti, qui indigent reduci ad quatuor perfectos, vt bonitas conſequentię evidenter apparet.

Ex eis etiam aliqui directè concludunt, alij verò indirectè. Concludere directè eſt, quod maior extremitas prædicetur de minori in concluſione: & indirectè concludere eſt, quod minor extremitas prędicetur in concluſione de maiori extremitate. Vt tamen omnia prædicta facilius intelligantur ad exempla deveniamus.

Primus ergo modus primæ figuræ eſt *Barbara*, qui quidem habet tres vocales denotantes ſyllogiſmum factum conſtare debere ex tribus propoſitionibus vniverſalibus affirmativis, inquarum vna medium ſubijciatur, & in altera prædicetur, & in concluſione directè concludatur. Vt ſi dicas: *Omne rationale eſt riſibile. Et omnis homo eſt rationalis. Ergo omnis homo eſt riſibilis.* Vbi præoculis habebis omnes decem, & movem modos, præter quinque vltimos primæ figuræ, debere directè con-

concludere, & illos quinque indirectè; vt ſi conſtituas in *Baralipton* ſequentem ſyllogiſmum, *omne rationale eſt riſibile. Omnis homo eſt rationalis. Ergo aliquod riſibile eſt homo.* In qua concluſione minor extremitas de maiori prædicatur.

Primus modus ſecundæ figuræ eſt *Ceſare*, cuius litteræ vocales denotant ſyllogiſmum in eo factum debere conſtare maiori vniverſali negativa, & minori vniverſali affirmativa, & concluſione vniverſali negativa, & medium in vtraque præmiſſa prædicandum, cum ſit ſecunda figura: vt ſi dicas: *Nullus equus eſt homo. Omne riſibile eſt homo. Ergo nullum riſibile eſt equus.*

Primus ſimiliter modus tertiæ figuræ eſt *Darapti*, cuius literræ vocales indicant ſyllogiſmum in eo conſtitutum exigere maiorem, & minorem vniverſales affirmativas, & concluſionem particularem affirmativam, & inſuper medium eſſe in vtraque ſubijciendum, eo quod eſt tertia figura: vt ſi dicas: *Omnis homo eſt riſibilis. Omnis homo eſt albus. Ergo aliquod album eſt riſibile.* Et iuxta hunc proportiona-

bi-

biliter modum omnes alij ſyllogiſmi in cæteris modis,fabricandi ſunt.

Vnum tamen oportet advertere,quod videlicet,quando concluſio eſt propoſitio ſubalternans,loco illius poterit poni propoſitio ſubalternata. Sicut dum in *Barbara* concludis, *omne rationale eſt riſibile. Omnis homo eſt rationalis.* Ergo *omnis homo eſt riſibilis*, poteſt etiam concludere. Ergo *aliquis homo eſt riſibilis*. Et idem in *Celarem*, & *Ceſare*,& alijs vniverſaliter concludentibus.Et item quando concluditur propoſitio convertibilis ſimpliciter, vel per accidens, poteſt illius loco poni propoſitio convertens. Eo quod à convertibili,ad convertentem eſt bona conſequentia. Et quidquid ſequitur ad conſequens bonæ conſequentiæ, ſequitur ad antecedens.

CA-

CAPITVLVM IV.

DE REGVLIS, ET DEFFECTIBVS Syllogiſmi.

§. I.

De regulis Syllogiſmi non expoſitorij.

AD rectè fabricandum ſyllogiſmos, deffectus, & regulas cognoſcere oportet, quæ omnia in hoc capitulo damus. Et prima regula pro ſyllogiſmo non expoſitorio ea eſt, *quod ex puris negativis nihil ſequitur*. Et ratio eſt, quia ſyllogiſmus. Qui ex puris negativis concluderet, haberet pro concluſione aliqua duo eſſe diſtincta inter ſe: quia diſtinguntur à medio, quæ tamen bona illatio non eſt. Quia duo inter ſe identificata poſſunt ab vno tertio diſtingui. Sicut animal, & rationale diſtinguuntur à lapide: & tamen non differunt inter ſe. Vndè non eſt bonus ſyllogiſmus qui ſequitur, *nullus lapis eſt animal, ali-*

aliquod rationale non eſt lapis. Ergo aliquod rationale non eſt animal.

Argues. Quod benè valet, *nullus homo currit. Sed nullum album eſt aliud ab homine. Ergo nullum album currit.* Et tamen arguitur ex puris negativis. Ergo regula vera non eſt.

Reſp.neg.mai. Quia, vt ſyllogiſmus benè concluderet, debebat poni conſtantia albi, & affirmari illius exiſtentia, in quo eventu non concluderet ex puris negativis: dum tamen conſtantia non ponitur, non benè concluditur. Sicut non valet, *nullus homo eſt ens rationis. Nullus mons aureus eſt aliud ab homine. Ergo nullus mons aureus eſt ens rationis.* Quia mons aureus, nec eſt idem cum homine, nec aliud ab ipſo: ſiquidem mons aureus non eſt.

Secundò argues. Quod benè valet, *omne quod non eſt bipes non currit. Petrus non eſt bipes. Ergo Petrus non currit.* Et tamen arguitur ex puris negativis. Ergo idem quod priùs.

Reſp. diſt. mai. Valet in vi minoris: conc. mai. Valet ſyllogiſticè: neg. mai. Quia ſyllogiſmus prædictus valet tantùm in vi minoris, quæ ſola infert: Eo quod eſſe bipedem requi-

ritur ad currendum, & illo negato, etiam curſus negari debet: non tamen ſyllogiſticè valet. Nam vt ita valeret, debebat in minori dici, *Petrus eſt id, quod non eſt bipes*, vt ſic ſalvaretur principium *dici de nullo*, comprehendendo Petrum ſub ſubiecto maioris, & removendo prædicatum ab illo: & ſimiliter ita debebat in minori dici, vt ſalvaretur principium; *quæ ſunt eadem vni tertio*: & vt Petrus eſſet vnitus in minori cum ſubiecto maioris, à quo prædicatum removetur.

Secunda regula eſt, *quod ex puris particularibus nihil ſequitur*. Eo quod in tali ſyllogiſmo defficiunt ea principia *dici de omni*, *dici de nullo*, in quo bonitas ſyllogiſmi non expoſitorii fundatur. Vndè non valet, *aliquis homo eſt albus. Aliquis homo eſt niger. Ergo aliquis niger eſt albus.*

Dices: benè valet, *aliquis homo currit, vel diſputat. Sed non currit. Ergo diſputat. Et tamen ex puris* particularibus infert. Ergo regula vera non eſt.

Reſp. benè valere in vi loci arguendi à diſiunctiva cum deſtructione vnius partis ad poſi-

ſitionem alterius; non tamen benè valere ratione diſpoſitionis ſyllogiſticæ; aut in vi ſyllogiſmi: in quo ſenſu aſſerit regula noſtra ex puris particularibus nihil ſequi.

Tertia regula eſt; *quod, ſi aliqua præmiſſarum eſt particularis, etiam concluſio debet eſſe particularis.* Nam concluſio ſequitur debiliorem partem.

Etſi dicas: Quod benè valet, *aliquis homo eſt animal. Omne riſibile eſt homo. Ergo omne riſibile eſt animal.* Et tamen vna præmiſſa particularis eſt. Ergo.

Reſp. conſequentiam prædictam eſſe malã, & concluſionem vniverſalem non inferri. Eo quia medium in nulla diſtribuitur præmiſſarũ.

Quarta regula, *ſi aliqua præmiſſarum eſt negativa, etiam concluſio debet eſſe negativa.* Quia ſi vna extremitas removetur à medio; & altera eſt idem cum medio; non poſſunt extremitates prædictæ eſſe idem inter ſe.

Argues benè valere, *quod non eſt, non agit. Sed malum agit. Ergo malum eſt.* Et tamen maior eſt negativa, & affirmativa concluſio. Ergo regula vera non eſt.

Reſpond. prædicto ſyllogiſmo in ſudare Caramuelem, ſed facile dicitur, præmiſſam maiorem eſſe affirmativam virtualiter. Quia in illa continetur, *omne quod agit eſt*. Cuius loco D.Thom.1.p.q.48.art.1.poſuit propoſitionem probativam illius, eam videlicet, quæ ponitur pro maiori in ſyllogiſmo prædicto. Vndè maior aſſumpta non eſt purè negativa. Nec novum eſt propoſitionem affirmativam aliquando in negativa virtualiter contineri, vt in hoc ſyllogiſmo, *aſtra, quæ non-ſcintillant, ſunt propè nos. Sed Planetæ non ſcintillant. Ergo ſunt propè nos* in cuius minori virtualiter continetur propoſitio affirmativa, videlicet, *ſed Planetæ ſunt aſtra non ſcintillantia.*

Quinta regula, *medium non debet intrare concluſionem*. Quia in concluſione tantùm infertur identitas, vel diſtinctio extremitatum inter ſe. Sed ſi medium concluſionem intrat, non infertur identitas, vel diſtinctio extremitatum inter ſe; ſed diſtinctio, vel identitas extrmitatum cum medio. Ergo medium non debet intrare concluſionem. Aliquando tamen ad ſervandam aliquam proprietatem

Lo-

Logicalem poteſt medium concluſionem intrare, ad ſervandam videlicèt eandem ampliationem, aut reſtrictionem, vt in hoc ſyllogiſmo, *cognoſco Petrum. Petrus eſt veniens. Ergo cognoſco Petrum venientem.* Quia ſi ſolùm inferretur, ergo *cognoſco venientem*, conſequentia non eſſet bona. Quia ex cognitione Petri abſolutè infertur me cognoſcere ipſum ſub ratione venientis, vndè appellatio variatur. Et idem in hóc ſyllogiſmo, *Pater generat. Pater eſt eſſentia Divina. Ergo eſſentia Divina eſt Pater, qui generat.* Nam ſi ſolùm inferretur, ergo eſſentia Divína generat, conſequentia mala eſſet.

Sexta regula eſt, *quod medium ſaltem in aliqua præmiſſarum debet eſſe totale extremum,* aliàs argueretur in quatuor terminis. Vndè ſequentes præmiſſæ, *cuiuslibet hominis equus eſt hinnibilis. Cuiuslibet hominis canis eſt latrabilis*, non poſſunt concluſionem aliquam inferre.

Septíma regula, *illud quod ſe tenet cum medio in aliqua præmiſſarum, debet poni in concluſione cum extremitate diverſæ præmiſſæ, & in eo-*

dem caſu, in quo erat in præmiſſa, vt ſi dicas: *Cuiuſlibet hominis equus eſt albus. Petrus eſt homo. Ergo Petri equus eſt albus.* Addunt tamen aliqui in præſenti regulas pro ſyllogiſmis cuiuſcunquè figuræ: ſed regulæ prædictæ invtiles ſunt. Quia ex dictis facile colliguntur, & ſolum adiuvenum confuſionem conducunt.

§. II.

Deffectus ſyllogiſmi tàm intrinſeci, quàm extrinſeci declarantur.

DVOBVS modis poteſt vitiari ſyllogiſmus in genere, extrinſecè videlicèt, & intrinſecè. Deffectus quidem intrinſecus eſt, quando ex præmiſsis bene diſpoſitis non infertur ea concluſio, quæ inferenda eſt; ſed altera in præmiſsis non contenta. Quod contingit, dum arguitur à non diſtributo ad diſtributum: à non appellante ad appellantem: à confuſa ad determinatam: à reſtricto ad non reſtrictum ſine conſtantia reſtricti: & quando variatur ſuppoſitio quoad genus, videlicèt, de ma-

materiali in formalem: de ſimplici in perſonalem: de naturali in accidentalem: vel proceditur contra locum aliquem ex ſupra relatis.

Exemplum primi eſt in hoc ſyllogiſmo, *omnis homo currit. Aliquis homo non eſt equus. Ergo aliquis equus non currit.* Qui quidem malus eſt: quia ly *currit* in nulla præmiſſarum diſtribuitur, & diſtribuitur in concluſione. Exemplum ſecundi eſt, *vidi Petrum. Petrus fuit Papa. Ergo vidi Papam.* Quia ex quo viderim Petrum, qui fuit Papa, non benè infertur me vidiſſe illum tempore Papæ, vt affirmat concluſio.

Deffectus verò intrinſecus eſt ille, qui contingit in diſpoſitione medij cum extremitatibus, ratione cuius præmiſſæ ſunt inhabiles ad concluſionem inferendam, ſicut quando medium tenetur æquivocè, vt ſi dicas: *Canis eſt latrabilis. Piſcis eſt canis. Ergo piſcis eſt latrabilis.* Aut quando medium non afficitur eadem determinatione in præmiſsis, vel quælibet extremitas in præmiſsis, & concluſione; vt ſi dicas: *Omnis homo doctus diſputat. Petrus eſt homo. Ergo diſputat.* Vel ex parte extremitatis dicendo,

Ætiops eſt niger. Petrus eſt Ætiops. Ergo eſt niger ſecundum dentes.

Etiam eſt deffectus, quando medium in nulla præmiſſarum diſtribuitur completè. Vndè non valet, *omne animal fuit in Arca Noè. Petrus eſt animal. Ergo fuit in Arca Noè.* In quo quidem medium non diſtribuitur in minori, vt patet, nec in maiori. Siquidem ſolum diſtribuit in illa pro generibus ſingulorum.

Satis tamē eſt medium completè diſtribui in vtraquè præmiſſa ſimul: vt ſi dicas; *Vterquè homo currit. Petrus eſt alter homo.* Ergo *Petrus currit.* Vbi ly homo completè diſtribuitur in vtraque præmiſſa ſimul, ex reſolventibus patet, videlicèt, *omnium duorum hominum aliquis homo currit. Petrus eſt aliquorum duorum hominum quilibet homo. Ergo Petrus currit.*

Alter etiam eſt deffectus, quando, ſcilicèt, medium non accipitur copulativè in vna præmiſſa pro omnibus, pro quibus in alia ſumitur, vt ſi dicas: *Omne album eſt homo. Equus poſſibiliter eſt albus. Ergo equus poſſibiliter eſt homo.* Quia ly *album* in minori accipitur pro poſſibilibus; ſecus autem in maiori.

CA-

CAPITVLVM V.

DE REDVCTIONE SYLLOGISMORVM.

§. I.

De reductione oſtenſiva.

QVAMVIS bonitas conſequentiæ in ſyllogiſmis imperfectis intelligentibus evidenter appareat; rudibus tamen non apparet ita. Et ideò, vt rudibus fiat cognita prædicta bonitas, probanda eſt per reductionem ad ſyllogiſmos perfectos.

Duplex tamen eſt reductio. Alia quidem oſtenſiva, & alia per impoſsibile. Reductio quidem oſtenſiva eſt probatio modi imperfecti: in qua per tranſmutationem præmiſſarum, aut converſionem alicuius ex præmiſsis ſequitur immediatè, vel mediatè concluſio ſyllogiſmi imperfecti in aliquo modo perfecto.

Quod tamen, vt cognoſcas, obſerva modum imperfectum reducendum eſſe oſtenſivè ad modum perfectum habentem ſimilem litteram initialem: v. g. *Baralipton* reducendus eſt ad *Barbara* : *Celantes*, ad *Celarem* : Dabitis, ad Darij : & idem de reliquis dicendum eſt.

Nota inſuper præter litteram initialem reperiri in modis imperfectis quatuor conſonantes, videlicèt, *S.P.M.C.* Littera *S.* denotat, quod propoſitio deſignata per vocalem antecedentem debet converti ſimpliciter. *P.* denotat propoſitionem antecedentem eſſe convertendam per accidens. *M.* denotat præmiſſas eſſe mutandas, ita vt, de maiori fiat minor, & de minori maior. Littera *C*, ſi non ſit littera initialis, denotat modum, in quo reperitur, non poſſe reduci per oſtenſionem, ſed ſolùm per impoſsibile. Littera *P.* in Baralipton non denotat concluſionem eſſe convertendam per accidens. Quia particularis affirmativa non convertitur per accidens. Et ita littera *P.* in *Baralipton* ſolum indicat loco particularis ponendam eſſe vniverſalem affirmativam, quæ eſt concluſio de *Barbara*, & in particularem affir-

firmativam convertitur.

Adeſt exemplum *in Fapeſmo*, qui reducitur *ad Ferio*: in quo quidem vniverſalis affirmativa deſignata per primam vocalem. *A.* debet converti per accidens. Eo quod præcedit litteram *P.* ſecunda verò vocalis: debet converti ſimpliciter. Eo quod præcedit litteram *S*, & tandem debent mutari præmiſſæ: ita vt maior ponatur pro minori, & minor pro maiori. vt denotat littera *M.* quo facto, iſte ſyllogiſmus in Fapeſmo. *omnis homo eſt riſibilis. Nullus lapis eſt homo. Ergo aliquod riſibile non eſt lapis*, debet per oſtenſionem reduci ad *Ferio* modo ſequenti, *Nullus homo eſt lapis. Aliquod riſibile eſt homo. Ergo aliquod riſibile non eſt lapis.* Ecce præmiſſas mutatas, & converſas iuxta regulam ſupra tradditam, & totum ſyllogiſmum concludentem evidenter in *Ferio.*

Habes ſimiliter aliud exemplum in *Baralipton*, in qua littera *M.* non eſt, *omne rationale eſt riſibile. Omnis homo eſt rationalis. Ergo aliquod riſibile eſt homo*, qui reducitur ad *Barbara* per hoc ſolum, quod loco particularis, mutatis extre-

ritur ad currendum,& illo negato,etiam curſus negari debet: non tamen ſyllogiſticè valet. Nam vt ita valeret, debebat in minori dici, *Petrus eſt id, quod non eſt bipes*, vt ſic ſalvaretur principium *dici de nullo*, comprehendendo Petrum ſub ſubiecto maioris, & removendo prædicatum ab illo: & ſimiliter ita debebat in minori dici, vt ſalvaretur principium; *quæ ſunt eadem vni tertio*: & vt Petrus eſſet vnitus in minori cum ſubiecto maioris, à quo prædicatum removetur.

Secunda regula eſt, *quod ex puris particularibus nihil ſequitur*. Eo quod in tali ſyllogiſmo defficiunt ea principia *dici de omni*, *dici de nullo*, in quo bonitas ſyllogiſmi non expoſitorii fundatur. Vndè non valet, *aliquis homo eſt albus. Aliquis homo eſt niger. Ergo aliquis niger eſt albus.*

Dices: benè valet, *aliquis homo currit, vel diſputat. Sed non currit. Ergo diſputat.* Et tamen *ex puris* particularibus infert. Ergo regula vera non eſt.

Reſp. benè valere in vi loci arguendi à diſiunctiva cum deſtructione vnius partis ad poſi-

ſitionem alterius; non tamen benè valere ratione diſpoſitionis ſyllogiſticæ; aut in vi ſyllogiſmi: in quo ſenſu aſſerit regula noſtra ex puris particularibus nihil ſequi.

Tertia regula eſt; *quod, ſi aliqua præmiſſarum eſt particularis, etiam concluſio debet eſſe particularis:* Nam concluſio ſequitur debiliorem partem:

Etſi dicas: Quod benè valet, *aliquis homo eſt animal: Omne riſibile eſt homo: Ergo omne riſibile eſt animal.* Et tamen vna præmiſſa particularis eſt. Ergo.

Reſp. conſequentiam prædictam eſſe malã, & concluſionem vniverſalem non inferri. Eo quia medium in nulla diſtribuitur præmiſſarũ.

Quarta regula, *ſi aliqua præmiſſarum eſt negativa, etiam concluſio debet eſſe negativa:* Quia ſi vna extremitas removetur à medio; & altera eſt idem cum medio; non poſſunt extremitates prædictæ eſſe idem inter ſe.

Argues benè valere; *quod non eſt, non agit. Sed malum agit: Ergo malum eſt:* Et tamen maior eſt negativa, & affirmativa concluſio. Ergo regula vera non eſt.

Reſpond. prædicto ſyllogiſmo in ſudare Caramuelem, ſed facile dicitur, præmiſſam maiorem eſſe affirmativam virtualiter. Quia in illa continetur, *omne quod agit eſt.* Cuius loco D.Thom.1.p.q.48.art.1.poſuit propoſitionem probativam illius, eam videlicet, quæ ponitur pro maiori in ſyllogiſmo prædicto. Vndè maior aſſumpta non eſt purè negativa. Nec novum eſt propoſitionem affirmativam aliquando in negativa virtualiter contineri, vt in hoc ſyllogiſmo, *aſtra, quæ non ſcintillant, ſunt propè nos. Sed Planetæ non ſcintillant. Ergo ſunt propè nos* in cuius minori virtualiter continetur propoſitio affirmativa, videlicet, *ſed Planetæ ſunt aſtra non ſcintillantia.*

Quinta regula, *medium non debet intrare concluſionem.* Quia in concluſione tantùm infertur identitas, vel diſtinctio extremitatum inter ſe. Sed ſi medium concluſionem intrat, non infertur identitas, vel diſtinctio extremitatum inter ſe; ſed diſtinctio, vel identitas extrmitatum cum medio. Ergo medium non debet intrare concluſionem. Aliquando tamen ad ſervandam aliquam proprietatem

Lo-

Logicalem poteſt medium concluſionem intrare, ad ſervandam videlicèt eandem ampliationem, aut reſtrictionem, vt in hoc ſyllogiſmo, *cognoſco Petrum. Petrus eſt veniens. Ergo cognoſco Petrum venientem.* Quia ſi ſolùm inferretur, ergo *cognoſco venientem*, conſequentia non eſſet bona. Quia ex cognitione Petri abſolutè infertur me cognoſcere ipſum ſub ratione venientis, vndè appellatio variatur. Et idem in hóc ſyllogiſmo, *Pater generat. Pater eſt eſſentia Divina. Ergo eſſentia Divina eſt Pater, qui generat.* Nam ſi ſolùm inferretur, ergo eſſentia Divína generat, conſequentia mala eſſet.

Sexta regula eſt, *quod medium ſaltem in aliqua præmiſſarum debet eſſe totale extremum*, aliàs argueretur in quatuor terminis. Vndè ſequentes præmiſſæ, *cuiuslibet hominis equus eſt hinnibilis. Cuiuslibet hominis canis eſt latrabilis*, non poſſunt concluſionem aliquam inferre.

Septima regula, *illud quod ſe tenet cum medio in aliqua præmiſſarum, debet poni in concluſione cum extremitate diverſæ præmiſſæ, & in eo-*

dem caſu, in quo erat in præmiſſa, vt ſi dicas: *Cuiuslibet hominis equus eſt albus. Petrus eſt homo. Ergo Petri equus eſt albus.* Addunt tamen aliqui in præſenti regulas pro ſyllogiſmis cuiuſcunquè figuræ: ſed regulæ prædictæ invtiles ſunt. Quia ex dictis facile colliguntur, & ſolum adiuvenum confuſionem conducunt.

§. II.

Deffectus ſyllogiſmi tàm intrinſeci, quàm extrinſeci declarantur.

DVOBVS modis poteſt vitiari ſyllogiſmus in genere, extrinſecè videlicèt, & intrinſecè. Deffectus quidem intrinſecus eſt, quando ex præmiſsis bene diſpoſitis non infertur ea concluſio, quæ inferenda eſt; ſed altera in præmiſsis non contenta. Quod contingit, dum arguitur à non diſtributo ad diſtributum: à non appellante ad appellantem: à confuſa ad determinatam: à reſtricto ad non reſtrictum ſine conſtantia reſtricti: & quando variatur ſuppoſitio quòad genus, videlicèt, de ma-

materiali in formalem: de ſimplici in perſonalem: de naturali in accidentalem: vel proceditur contra locum aliquem ex ſupra relatis.

Exemplum primi eſt in hoc ſyllogiſmo, *omnis homo currit. Aliquis homo non eſt equus. Ergo aliquis equus non currit.* Qui quidem malus eſt: quia ly *currit* in nulla præmiſſarum diſtribuitur, & diſtribuitur in concluſione. Exemplum ſecundi eſt, *vidi Petrum. Petrus fuit Papa. Ergo vidi Papam.* Quia ex quo viderim Petrum, qui fuit Papa, non benè infertur me vidiſſe illum tempore Papæ, vt affirmat concluſio.

Deffectus verò intrinſecus eſt ille, qui contingit in diſpoſitione medij cum extremitatibus, ratione cuius præmiſſæ ſunt inhabiles ad concluſionem inferendam, ſicut quando medium tenetur æquivocè, vt ſi dicas: *Canis eſt latrabilis. Piſcis eſt canis. Ergo piſcis eſt latrabilis.* Aut quando medium non afficitur eadem determinatione in præmiſsis, vel quælibet extremitas in præmiſsis, & concluſione; vt ſi dicas: *Omnis homo doctus diſputat. Petrus eſt homo. Ergo diſputat.* Vel ex parte extremitatis dicendo,

Ætiops eſt niger. Petrus eſt Ætiops. Ergo eſt niger ſecundum dentes.

Etiam eſt deffectus, quando medium in nulla præmiſſarum diſtribuitur completè. Vndè non valet, *omne animal fuit in Arca Noè. Petrus eſt animal. Ergo fuit in Arca Noè.* In quo quidem medium non diſtribuitur in minori, vt patet, nec in maiori. Siquidem ſolum diſtribuit in illa pro generibus ſingulorum.

Satis tamē eſt medium completè diſtribui in vtraquè præmiſſa ſimul: vt ſi dicas: *Vterquè homo currit. Petrus eſt alter homo.* Ergo *Petrus currit.* Vbi ly homo completè diſtribuitur in vtraque præmiſſa ſimul, ex reſolventibus patet, videlicèt, *omnium duorum hominum aliquis homo currit. Petrus eſt aliquorum duorum hominum quilibet homo. Ergo Petrus currit.*

Alter etiam eſt deffectus, quando, ſcilicèt, medium non accipitur copulativè in vna præmiſſa pro omnibus, pro quibus in alia ſumitur, vt ſi dicas: *Omne album eſt homo. Equus poſsibiliter eſt albus. Ergo equus poſsibiliter eſt homo.* Quia ly *album* in minori accipitur pro poſsibilibus; ſecus autem in maiori.

CA-

CAPITVLVM V.

DE REDVCTIONE SYLLOGISMORVM.

§. I.

De reductione oſtenſiva.

QVAMVIS bonitas conſequentiæ in ſyllogiſmis imperfectis intelligentibus evidenter appareat; rudibus tamen non apparet ita. Et ideò, vt rudibus fiat cognita prædicta bonitas, probanda eſt per reductionem ad ſyllogiſmos perfectos.

Duplex tamen eſt reductio. Alia quidem oſtenſiva, & alia per impoſsibile. Reductio quidem oſtenſiva eſt probatio modi imperfecti: in qua per tranſmutationem præmiſſarum, aut converſionem alicuius ex præmiſsis ſequitur immediatè, vel mediatè concluſio ſyllogiſmi imperfecti in aliquo modo perfecto.

Quod

Quod tamen, vt cognoſcas, obſerva modum imperfectum reducendum eſſe oſtenſivè ad modum perfectum habentem ſimilem litteram initialem: v. g. *Baralipton* reducendus eſt ad *Barbara* : *Celantes*, ad *Celarem* : Dabitis, ad Darij : & idem de reliquis dicendum eſt.

Nota inſuper præter litteram initialem reperiri in modis imperfectis quatuor conſonantes, videlicèt, *S.P.M.C*. Littera *S*. denotat, quod propoſitio deſignata per vocalem antecedentem debet converti ſimpliciter. *P*. denotat propoſitionem antecedentem eſſe convertendam per accidens. *M*. denotat præmiſſas eſſe mutandas, ita vt, de maiori fiat minor, & de minori maior. Littera *C*, ſi non ſit littera initialis, denotat modum, in quo reperitur, non poſſe reduci per oſtenſionem, ſed ſolùm per impoſsibile. Littera *P*. in Baralipton non denotat concluſionem eſſe convertendam per accidens. Quia particularis affirmativa non convertitur per accidens. Et ita littera *P*. in *Baralipton* ſolum indicat loco particularis ponemdam eſſe vniverſalem affirmativam, quæ eſt concluſio de *Barbara*, & in particularem affir-

firmativam convertitur.

Adeſt exemplum *in Fapeſmo*, qui reducitur ad *Ferio*: in quo quidem vniverſalis affirmativa de ſignata per primam vocalem. *A*. debet converti per accidens. Eo quod præcedit litteram *P*. ſecunda verò vocalis: debet converti ſimpliciter. Eo quod præcedit litteram *S*, & tandem debent mutari præmiſſæ: ita vt maior ponatur pro minori, & minor pro maiori. vt denotat littera *M*. quo facto, iſte ſyllogiſmus in Fapeſmo. *omnis homo eſt riſibilis. Nullus lapis eſt homo. Ergo aliquod riſibile non eſt lapis*, debet per oſtenſionem reduci ad *Ferio* modo ſequenti, *Nullus homo eſt lapis. Aliquod riſibile eſt homo. Ergo aliquod riſibile non eſt lapis.* Ecce præmiſſas mutatas, & converſas iuxta regulam ſupra tradditam, & totum ſyllogiſmum concludentem evidenter in *Ferio*.

Habes ſimiliter aliud exemplum in *Baralipton*, in qua littera *M*. non eſt, *omne rationale eſt riſibile. Omnis homo eſt rationalis. Ergo aliquod riſibile eſt homo*, qui reducitur ad *Barbara* per hoc ſolum, quod loco particularis, mutatis extre-

tremis, ponatur vniverſalis affirmativa, videlicet, ergo omnis homo eſt riſibilis.

Habe alterum exemplum in *Friſeſomorum*, qui conſtat maiori particulari affirmativa, & minori vniverſali negativa, & concludit in directè particularem negativam, vt ſi dicas: *Aliquod rationale eſt riſibile. Nullus homo eſt rationalis, Ergo aliquod riſibile non eſt homo* qui reducitur ad *Ferio* mutando præmiſſas propter litteram *M.* & illas convertendo ſimpliciter propter litteram *S* poſitam poſt vtramquè vocalem: & ita debet reduci, *nullum rationale eſt homo. Aliquod riſibile eſt rationale. Ergo aliquod riſibile non eſt homo.*

§. II.

De Reductione per impoſſibile.

REDVCTIO verò per impoſſibile eſt probatio per quam ex contradictorio conſequentis ſyllogiſmi imperfecti, & vna præmiſſa conceſſa, infertur contradictorium alterius

præ-

præmiſſæ iam conceſſæ. Vndè reductio per impoſsibile cogit ad concedendas duas contradictorias tanquam veras: cum tamen eſſe ſimul veras ſit impoſsibile. Et propterea reductio prædicta per impoſsibile nominatur.

Ad intelligentiam tamen facilem huius notandum eſt, quod in quinquè modis imperfectis primæ figuræ contradictoria concluſionis negatæ aſſumitur pro maiori, & maior conceſſa in ſyllogiſmo imperfecto pro minori, & ita infertur contradictorium minoris conceſſæ in ſyllogiſmo imperfecto. Excipitur tamen à prædicta regula *Celantes*, in quo contradictorium concluſionis conceſſæ aſſumitur pro minori, & ipſa minor pro maiori, & infertur contradictorium maioris conceſſæ in ſyllogiſmo imperfecto.

In ſecunda tamen figura contradictorium concluſionis conceſſæ ponitur pro minori, & ſervatur eadem maior, & infertur contradictorium minoris conceſſæ in ſyllogiſmo imperfecto.

In tertia tandem figura contradictorium concluſionis conceſſæ aſſumitur pro maiori, & ſer-

Digitized by Google

ſervatur eadem minor; & infertur contradictorium maioris conceſſæ in ſyllogiſmo imperfecto. Quod totum ſequentibus verſiculis continetur.

Maior fit minor, & fit contradictio maior;
Dempto Celantes, in quo pervertitur ordo.
Servat maiorem, variatquè ſecunda minorem.
Tertia maiorem variat, ſervatque minorem.

Verùm quamvis ex dictis facilè cognoſci poſsit qualiter ſit facienda reductio; vt tamen facilius intelligatur, & promptior ſit iuvenis ad reducendum, habent Dialectici ſequentes dictiones.

Neſciebatis. Odièbam. Lætare. Romanis.

In quibus quidem dictionibus ordo reductionis continetur. Nam in prima dictione ſunt quinquè vocales correſpondentes quinquè modis imperfectis primæ figuræ. Prima correſ-

reſpondet primo:ſecunda,ſecundo, & ſic de cæteris. In ſecunda dictione ſunt quatuor vocales correſpondentes quatuor modis ſecundæ figuræ. In tertia autem ſunt ſex vocales correſpondentes ſex modis tertiæ figuræ, & modus correſpondens alicui ex vocalibus prædictis reducendus eſt admodum perfectum in eadem vocali finitum.

Exemplum adeſt in *Baralipton*, cui in prima dictione correſpondet prima vocalis, videlicet, *E.* in *Neſciebatis*. Et ideò reducendus eſt ad *Celarem*, qui in eadem vocali finitur. Vndè ſi fiat ſyllogiſmus in *Baralipton*: *Omnis homo eſt rationalis. Omne riſibile eſt homo. Ergo aliquod rationale eſt riſibile*, & aliquis neget conſequentiam, ſume contradictoriam illius, videlicèt, *nullum rationale eſt riſibile*, & pone propoſitionem iſtam pro maiori, & maiorem conceſſam pro minori,& educes ſyllogiſmum perfectum in *Celarem*, ſequentem, videlicèt, *nullum rationale eſt riſibile. Omnis homo eſt rationalis. Ergo nullus homo eſt riſibilis*, quæ conuerſa ſimpliciter in hanc, *nullum riſibile eſt homo,*

mo, opponitur contrariè cum minori conceſſa: & ita conceduntur duæ contrariæ ſimul veræ. Quod implicat.

Secundum exemplum ſit in *Baroco* quarto modo ſecundæ figuræ, cui correſpondet quarta vocalis de *Odiebam*, & denotat illum reducendum eſſe ad *Barbara*. Vndè ſi fiat ſyllogiſmus in *Baroco*, *omnis homo eſt riſibilis. Aliquis equus non eſt riſibilis. Ergo aliquis equus non eſt homo.*, & tibi negetur conſequentia, inferes, ergo *omnis equus eſt homo.* Et habebis in *Barbara* ſyllogiſmum, *omnis homo eſt riſibilis: Omnis equus eſt homo*: quia contradictorium concluſionis negatæ ponitur pro minori in ſecunda figura. Ergo *omnis equus eſt riſibilis.* Quę quidem eſt contradictoria minoris conceſſę: & ita cogis negantem duas contradictorias concedere. Quod eſt impoſsibile.

Sit tertium exemplum in *Darapti*, qui eſt primus modus tertiæ figuræ, & illi correſpondet prima vocalis in *Letare*, & denotat talem modum reducendum eſſe ad *Celarem*, qui in eadem littera finitur. Vndè ſi fiat ſyllogiſmus in

in darapti, *omnis homo eſt rationalis. Omnis homo eſt riſibilis.* Ergo *aliquod riſibile eſt rationale*, & tibi negetur conſequentia, inferes, ergo *nullum riſibili eſt rationale*, habebis ſyllogiſmum evidentem in Celarem, *nullum riſibile eſt rationale. Omnis homo eſt riſibilis.* Ergo *nullus homo eſt rationalis.* In quo habetur contraria maioris conceſſæ, & conceduntur vt veræ duæ propoſitiones contrariæ. Iuxta quam doctrinam omnes alij modi cuiuſcumque figuræ per impoſsibile reducendi ſunt.

Argues contra. Poteſt quis in ſyllogiſmo imperfecto negare conſequentiam illatam, & ſimul negare illius contradictoriam. Sed in hoc eventu non poterit fieri reductio per impoſſibile. Ergo aliquis modus imperfectus non poterit per impoſsibile reduci ad aliquem modum perfectum. Probatur maior. Poteſt quis aliquando negare conſequentiam, & iuſtè etiam negare illius contradictoriam, vt ſi velit inferre, *homo eſt rationalis. Ergo eſt albus*, negabit alter conſequentiam: & ſi iterum inferas, Ergo *non eſt albus*, quæ eſt primæ contradictoria, negabit ſimiliter, & iuſtè. Quia nulla

earum infertur. Ergo poteſt etiam quis in ſyllogiſmo imperfecto negare conſequentiam illatam,& illius contradictoriam.

Reſp.tamen neg.mai.& ad probat. diſt. ant. Quando præmiſſæ non ſunt aptæ, & diſpoſitæ ad aliquam inferendam: conced. ant. Quando diſpoſitæ ſunt ad vnam, vel alteram inferendam: nego ant. & conſeq.Quando namquè dicitur negantem conſequentiam illatam debere concedere illius contradictoriam,intelligendum eſt, quando præmiſſæ ſunt aptæ ad vnam, vel alteram inferendam; non tamen quando non ſunt diſpoſitæ ad prædictam conſequentiam, vel ad eius contradictoriam, ſed ad alia ex æquo diſtinctam, quæ cum præmiſsis connectitur, vt contingit in modo arguendi, in argumento relato. Vndè ſiquis arguat in Ceſare, *nullus homo eſt inſenſibilis. Omnis lapis eſt inſenſibilis*, & inferat. *Ergo nullus lapis eſt corpus*, poteſt quis negare conſequentiam, & ſi iterùm inferat. Ergo *aliquis lapis eſt corpus*, poteſt iterum negare. Eo quod nulla illarum ex præmiſsis infertur. Nec pro

his

his aſsignatur reductio ; ſed pro benè inferentibus ex præmiſsis. Et hæc de tota ſumma dialectica ea claritate, qua dedimus in gloriam Sanctiſsimę Trinitatis.

LAVS DEO.

Digitized by Google

INDEX.

Prooemium.Pag.1.
Caput primum prooemiale de operationibus intellectus.Pag.2.
§.1.Quid ſint operationes prædictæ.Pag.ibi.
§.2.Numerus operationum explicatur. Pag.4.
Cap.2.De quatuor propoſitionibus.Pag.6.

LIBER I.
Dialecticæ, & in eo.

Cap.1.De Signo.Pag.12.
§.1.Deffinitio ſigni explicatur.ibi.
§.2.De diviſsione ſigni in communi.Pag.16.
Cap.2.De diviſsione ſigni formalis.Pag.19.
Cap.3.De diviſsione ſigni per ordinem ad ſignatum.Pag.23.
Cap.4.De Termino.Pag.26.
§.1.Explicatur termini in communi diffinitio.Pag.ibi.
§.2.De prima termini diviſsione.Pag.29.
§.3.De diviſsione termini vocalis.Pag.31.
§.4.De alia termini diviſsione.Pag.35.

§.5.

Digitized by Google

§.5. De diviſsione termini cathegorematici. Pag.37.
§.6. De alia termini cathegorematici diviſsione. Pag.41.
§.7. De altera eiuſdem termini diviſsione. Pag.47.
Cap.5. De nomine, & verbo. Pag.51.
§.1. Deffinitio nominis explicatur. ibi.
§.2. Explicatur verbi deffinitio. Pag.55.

LIBER II.

Cap.1. De oratione. Pag.60.
§.1. Natura orationis explicatur. Pag, ibi.
§.2. De modo ſciendi. Pag.63.
§.3. De deffinitione. Pag.66.
§.4. De diviſsione. Pag.69.
§.5. De argumentatione. Pag.73.
Cap.2. De propoſitione. Pag.77.
§.1. Propoſitionis deffinitio explicatur. P. ibi.
§.2. De prima propoſitionis diviſsione. P. 80.
§.3. De altera diviſsione. Pag.82.
§.4. De alijs diviſsionibus. Pag.83.
Cap.3. §.1. De propoſitione hypotetica. P. 86.
§.2. De diviſsionibus hypoteticæ. P.90.

Cap.

Cap.4.De ſuppoſitione.Pag.94.
§.1.Deffinitio ſuppoſitionis explicatur.P.ibi.
§.2.De prima diviſsione ſuppoſitionis.P.97.
§.3.De vltima diviſsione ſuppoſitionis. P.103.
§.Vltimus.De regulis ſuppoſitionis. Pag. 107.
Cap.5.De relativis.Pag.111.
§.1.Deffinitio relativi explicatur.ibi.
§.2.Regulæ pro relativis.Pag.114.
Cap.6.De ampliatione,& reſtrictione. P.116.
§.1.Deffinitiones vtriuſque explicatur.ibi.
§.2.Ampliationis,& reſtrictionis regulę declarantur.Pag.120.
§. 3. Duplex locus arguendi in ampliatione. Pag.123.
Cap.7.De appellatione.Pag.125.
§.1.Quid,& quotuplex ſit appellatio?ibi.
§.2.De regulis vtriuſque appellationis. P. 127.
Cap.8.De oppoſitione.Pag.133.
§.1.Quid,& quotuplex ſit oppoſitio?ibi.
§.2.Lex contradictoriarum explicatur. P. 139.
§.3.De Lege aliarum oppoſitionum.P.141.
§.4.Conditiones cuiuſcumque oppoſitionis. Pag.143.
Cap.9.De Æquippolentia.Pag.147.
§.1.Æquippolentiæ deffinitio traditur.ibi.

§.2.

§.2.Regulæ pro æquippolentibus.Pag.148.
Cap.10.De conuerſione.Pag.151.
§.1.Conuerſionis deffinitio.ibi.
§.2.De conuerſione particulari.Pag.153.
Cap.11.De modalibus.Pag.156.
§.1. Explicatur natura propoſitionis modalis. ibi.
§.2.De modali vt reducibili.Pag.159.
§.3.De oppoſitione modalium.Pag.163.
Cap.12.De propoſitione exponibili.P.169.
§.1.Eius natura,& diviſsio proponitur.P.ibi.
§.2.De exceptivis.Pag.173.
§.3.De reduplicativis.Pag.174.
§.4.De alijs exponibilibus.Pag.179.

LIBER III.
De pertinentibus ad 3.operationem.

Cap.1.De conſequentia.Pag.182.
§.1.Deffinitio conſequentiæ.Pag.ibi.
§.2.De regulis bonæ conſequentiæ.Pag.184.
Cap.2.De inductione.Pag.190.
§.1.Deffinitio inductionis traditur.Pag.ibi.
§.2.De regulis inductionis.Pag.193.
Cap.3.De Syllogiſmo.Pag.195.

§.1.

§.1. Traditur ſyllogiſmi deffinitio. Pag. ibi.
§.2. De principijs regulantibus ſyllogiſmum. Pag. 199.
§.3. De diviſsione ſyllogiſmi ratione materiæ. Pag. 200.
§.4. De diviſione ratione formæ. Pag. 203.
Cap. 4. De regulis, & deffectibus ſyllogiſmi. Pag. 208.
§. 1. De regulis ſyllogiſmi non expoſitorij. Pag. ibi.
§.2. Deffectus ſyllogiſmi, tàm intrinſeci, quàm extrinſeci declarantur. Pag. 214.
Cap. 5. De reductione ſyllogiſmorum. P. 217.
§.1. De reductione oſtenſiva. Pag. ibi.
§.2. De reductione per impoſsibile. Pag. 220.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google